SOMNERUS.
GULIELMUS
MORIBUS
ANTIQUIS.

SOMNERUS.
GULIELMUS
MORIBUS
ANTIQUIS.

JULII CÆSARIS

PORTUS ICCIUS

ILLUSTRATUS:

SIVE

1. GULIELMI SOMNERI ad Chiffletii Librum de *Portu Iccio*, responsio; nunc primum ex MS. edita.

2. CAROLI DU FRESNE Dissertatio de *Portu Iccio*.

Tractatum utrumque Latine vertit, & Nova Dissertatione auxit

Edmundus Gibson Art. Bac. e Coll. Reg. *Oxon.*

Ὥσπερ ζῶον τ ὄψεων ἀφαιρεθεισῶν, ἀχρειῦται τὸ ὅλον· ὕτως ἐξ ἱστορίας ἀναιρεθείσης τ ἀληθείας, τὸ καταλειπόμενον αὐτῆς ἀνωφελὲς γίνεται δίηγημα. Polyb. l. 1.

OXONII,

E THEATRO Sheldoniano, *Anno Dom.*

MDCXCIV.


SOMNERUS.
GUILELMUS
MORIBUS
ANTIQUIS.
M Burghers delin. et sculp.

JULII CÆSARIS

PORTUS ICCIUS

ILLUSTRATUS:

SIVE

1. GULIELMI SOMNERI ad Chiffletii Librum de *Portu Iccio*, responsio; nunc primum ex MS. edita.
2. CAROLI DU FRESNE Dissertatio de *Portu Iccio*.

Tractatum utrumque Latine vertit, & Nova Dissertatione auxit

Edmundus Gibson Art. Bac. e Coll. Reg. *Oxon.*

"Ωσπερ ζῶον τ ὄψεων ἀφαιρεθεισῶν, ἀχρειᾶται τὸ ὅλον· ὅτως ἐξ ἱστορίας ἀναιρεθείσης τ ἀληθείας, τὸ καταλειπόμενον αὐτῆς ἀνωφελὲς γίνεται διήγημα. Polyb. l. 1.

OXONII,

E THEATRO Sheldoniano, *Anno Dom.* MDCXCIV.

Imprimatur

Henr. Aldrich

VICE-CAN. OXON.

Dec. 29, 1693.

1816-16:12



Academiæ Cantabrigiensis
Liber.

EXIMIO VIRO

WHITO KENNETTO

SALUTEM.

GRavi incommodo ſtudia Antiquitatum quorundam hominum perverſitas affecit. Dum enim ſuæ ſive inſcitiæ ſive ignaviæ prætextum quæſierunt; in hanc partem literarum, quaſi aridiſſimam, & politioris diſciplinæ peſtem, fœdiſſimas contumelias eructarunt. Quæ ſane quamlibet falſæ atque ridiculæ; ita tamen deſidiæ accommodantur, ita molli naturæ quaſi blandiuntur, ut mirum ſit quam alte hominum mentibus inſederint. Eo paulatim crevit opinio, ut qui famam

mam Ingenii *arrogantissime aucupantur, nullo se pacto commodius consecuturos existiment, quam si vetusta omnia immortali odio prosequantur. Adeo, quisquis ad ea investiganda animum advertit, non solum latera pertinacissimis laboribus, sed & existimationem gravissimo dedecori exponat. Hinc fracti dejectique multi, qui ad ea studia animos proclviores possident; oneri plane succubituri, nisi tuo exemplo, tuaque auctoritate sustinerentur. Quid enim efficacius cogitari potest, ad argutias ejusmodi diluendas, quam tui ingenii acumen, quam ea anima*

---Qua neque candidiorem
Terra tulit.

Ex tua mentis elegantia, admirabili facilitate, eximia in literis humanioribus

oribus cognitione; ex his (inquam) accuratæ Antiquitatum cognitioni admissis, discant aliquando, non illud studium animos quavis morum aut disciplinæ asperitate inquinare. Ex tui autem judicii gravitate intelligant, leves alioqui & enerves ingenii impetus, hoc præsertim studio coerceri & quasi corroborari. Quod vero sterile esse jejunumque clamitant, tu quam fœcundum sit, omnes luculente docuisti; qui ex prædiis familiæ Glynnianæ, *amplissimæ quidem illius, sed unius tamen, volumen justum & eruditum excitasti. Tui igitur nominis patrocinio recreentur, quotquot* Ingenio*sorum scilicet artibus oppressi, nobilissimæ disciplinæ renunciarunt. Mihi vero gratulentur magnopere, cui opportune accidit, ut & Antiquitatum causa, & officii privati ra-*

tio

tio ad eundem hominem dirigerent. Ad quem enim prius pertineant aureæ Somneri *reliquiæ, quam ad te, qui Vita copiose & accurate scripta,* Somnero *immortalitatem comparasti? Cui etiam mei officii testimonium potiori jure debeatur, quam tibi, cujus præceptis maxime exemploque horum studiorum rationes instituo? Habes autem nescio quid artis singularis, qua juvenum ingenia allicis & accendis. Eorum lucubrationes ita probas, ut tamen intelligant, diuturna exercitatione posse emendari; ita damnas, ut interim sentiant aliquid illis inesse spiritus & acuminis, quod augeri industria poterit. Unde evenit, ut neque illis deferveſcat diligentia, neque hos desperatio opprimat. Perge igitur, id quod facis, tua hac arte adolescentibus præire; & dum pietate singu-*

lari

lari Ecclesiam, egregia eruditione literas humaniores, nostramque Academiam exornas; tibi interim Antiquitatum gloriam sustinendam esse reminiscere. Vale.

E Coll. Reginæ *Oxon.*
Calendis *Januariis*,
MDCXCIV.

Tui Studiosissimus

EDMUNDUS GIBSON.



Tabulam hanc
GULIELMO NICHOLSONO,
Antiquitatum et
Ecclesiæ Carleolensis
ornamento magno,
D. D. C. Q.
Edmundus Gibson.
CANTIUM
SUSSEX
Lamesis ostium
Stonar
Richburg
Canterbury
Sandwich.
Rutupium Romanorum.
Lundenvic Sax.
Cantium Promontorium
The downs
Dubris.
Folkstan Ninij Lapis tituli.
Appledore.
Newenden
Hyth
Romney.
Romanorum
Lydde
Stone
Rye.
Winchelsey.
Hastings
Pemseys Anderida Romanorum
Britannicum.
Oceani.
Gallicum.
Saxonicum
Iccium Promontorium.
Witsan, Iccius
Camdeni, Ortelij
Caroli du Fresne
Ambleteol
Portus Iccius.
Gessoriacum. Bononia
Sangate
Caletum
Iccius
Speedi, &c.
Marquise
Audomaropolis
Chiffletij portus citerior
Portet
OROMANSACI
Stapulæ
BRIANNI
Littus
Mardiccium Chiffletij portus Iccius.
Graveling
Dunkirke
Oostend
Brugæ
Sluysa
Novus Portus
MORINI
Castellum
Tarvanna

DE

Portu Iccio

DISSERTATIO NOVA.

VEtera *Majeſtas quædam*, & *(ut ſic dixerim) Religio commendat*, inquit elegantiſſimus Rhetor. Magna ſane & liberalis oratio; digna eo homine qui non ſolum in *judiciis*, ſed in omni humaniore diſciplina plane *dominatus eſt*. Inter antiqua enim ac nova illud in primis intereſt, quod hæc immoderato quidem fulgore imperitorum *oculos* perſtringunt, ſed nullam ſeveriori judicio materiam ſuppeditant, illa vero quamlibet horrida & incompta nullam *oculis* delectationem afferunt; ea tamen in ſe habent, quæ curioſorum mentes cogitationeſque uberrime exerceant. Hoc eſt (ſi ego a recte

a Fab. *Inſtitut. Lib.* 1. *cap.* 8.

recte intelligo) nova fucatam quandam levitatem sciolorum captui accommodatam ostentant; vetera vero syncero pondere peritissimo cuique artifici commendantur. Quam quidem ob causam, illa *vulgi* admirationi patres prudentissimi reliquerunt, hæc autem, quasi consecratas quasdam reliquias, non nisi castis manibus tractari voluere. Hinc sua apud eos *Saliorum* carminibus auctoritas; apud nos sua *Rostratæ* illi *columnæ* Majestas, cujus singula verba, singulas literas, adeoque ipsos literarum ductus, non tam curiose lustramus, quam oculis avidissimis quasi devoramus. Ut quisquis in hujusmodi rebus paulo oscitantius versatus, minutissimum quidpiam prætermiserit; eum summi sive sceleris sive insciticæ ignominia oneremus.

Cum autem singulis ætatibus, ex quo jacentes & extinctæ pene disciplinæ excitarentur, plurima Antiquitatis monumenta eruditorum calamos exercuerunt; de nullo fere solliciti magis quam de *Iccio Portu* fuere. Hoc scilicet Cæsaris Majestas, hoc loci vetustas

tustas & eminentia vindicavit. Quibus quidem rationibus permoti, dedita opera Scriptores multi, plurimi obiter ac in transitu suum de loci situ, ἐτυμολογία, &c. judicium interposuere. Inter reliquos, *Joannes Jacobus Chifletius*, Philippi IV. Hispaniarum Regis, & Serenissimæ Infantis *Isabellæ Claræ Eugeniæ*, medicus Cubicularius, novam prorsus de eo opinionem produxit. Portum nimirum, contra priorum omnium conjecturas, *Mardici* in Flandriâ ponit; eo (quod suspicantur nonnulli) consilio, ut Hispanorum gentem pleniore obsequio demereretur. Quo autem animo illud munus susceperit, ut difficile est conjecturâ consequi, ita nostro proposito est prorsus alienum. Librum protinus amplexati sunt omnium ordinum homines, ulnisque avidissimis captarunt; & post primo in Hispaniis excusum, Flandri, quòd ad suam gloriam pertinere arbitrabantur, secundam illius editionem emiserunt. Liber forte in manus *Gulielmi Somneri* (immortalis illius Cantuariæ ornamenti) opportunè incidit. Quo ille

perlecto, diligentiusque perpenso (qua erat ingenii perspicacia & acumine) errorem protinus deprehendit, eoque majori indignatione excepit, quod nonnullam improbitatis misturam subolere sibi videbatur. Quid plura? Laqueos judiciis incautioribus tensos perspexit, præsertim cum magnis nominibus *Puteani*, *Torrii*, &c. liber commendatus prodiit. Noluit igitur Vir doctissimus piissimusque pestem hanc detestabilem diutius sævire: verum, ut ex mentibus contaminatis evelleret, & ab integris intactisque averteret; id quod peritum medicum decebat, ægritudinis causas omnes originesque curiosius indagavit, singula membra divulsit, cujusque infirmitatem prodidit, partibusque laborantibus remedium adhibuit. Octo Chiffletii Capitibus parem Sectionum numerum opposuit, omniaque errorum diverticula investigavit.

Post mortem illius, omnibus literarum amicis vehementer deflendam, Tractatus hic, una cum cæteris ejus reliquiis, ad Ecclesiam Cantuariensem devenit; a cujus Decano digniss-

imo

simo Capituloque, editionis facultatem mihi humanissime impetravit D. *Henricus Wharton*, qui ut in omni disciplinarum parte multum, ita in Angliæ Antiquitatibus plurimum versatur. Cum autem Cl. Somnerus scriptum hoc reliquisset idiomate Anglicano, exteris (quos tamen maxime seduxerat Dissertatio *Chiffletiana*) non multum cognito; sensi continuo non solum Chartas ἀυτογράφους (id quod primo mihi proposueram) recensendas, sed novum insuper translationis laborem necessario subeundum. Nec enim aliter medicinam morbo accommodatam pararem. Transtuli igitur, notisque necessariis illustravi. Sub idem vero tempus, dum multorum de hac materia Tractatus evolverem, ex Baudrandi forte Dictionario Geographico cognovi, Cl^am^. *du Fresne* integram de hoc loco Dissertationem edidisse. Eam omnibus viis modisque comparandam duxi; quod tamen eo majorem difficultatem habuit, quoniam grandiori Volumini de *Vita S. Ludovici* inseruisset. Ad manus tandem, amicorum quorundam opera,

pervenit Liber vere aureus pulcherrimuſque, infinita eruditione refertus. Dolebam equidem, partim eam de *Portu Iccio* Diſſertationem inter tot variæ materiæ Tractatus, quaſi obrutam ſepultamque jacere; partim quod idiomate Gallico conſcripta, plurimorum cognitionem fugeret. Nova hinc cura exoritur: poſtquam enim ad Somneriani MS. verſionem *exterorum* ratio permoviſſet; quàm ingratus impiuſque eſſem, niſi *patriæ* caritas ad Gallici textus traductionem impelleret.

De *Portu* igitur *Iccio* tot tantorum hominum conjecturis publice prolatis, ſupervacaneum fortaſſe videbitur, ne dicam inſolens, novas de eo lites ſuſcitare; neque impudentiæ crimine multorum opinione carebit, quiſquis Ortelii diligentiæ, Cluverii judicio, Somneri ſagacitati, & acumini Comitis *du Gange*, adjici quicquam poſſe exiſtimaverit. Et ultro quidem agnoſco, auctores etiam clariſſimos, *multa quæ ad hunc locum pertinent, diligentiſſime ſcripta poſteris reliquiſſe*. Qui ſi vel in ſumma conſentirent,

tirent, omnem uberioris disquisitionis locum posteris penitus sustulissent. Sed dum in varias opiniones distracti, suam pertinaciter singuli defendunt; veritas ut eorum lucubrationibus illustratur, ita certe confunditur: ut qui suos animos ad illius investigationem convertunt, impetuosæ cuidam tempestati sese committere videantur. Quapropter *cum inter diversas opiniones priorum, & omnes etiam inter se contrarias, difficilis sit electio, quivis si non inveniendi nova, at certe judicandi de veteribus, sibi non injuste laborem injungere poterit.* Neque video cur quisquam hujusmodi officium tanquam humile & inglorium detrectet, cum de Rhetorica Fabius, de Philosophia Cicero, eadem ratione pulcherrime meruerunt. Quid enim? Divulsas partes colligere, pugnantes temperare, membra singula disponere, & in unum quasi corpus efformare, cujus est artis, cujus industriæ? Atque utinam ea esset hujus materiæ conditio, ut omnis disceptandi occasio aliquando tolleretur: sed hoc ipsorum indiciorum obscuritas, magna temporis distantia,

conjecturarum denique varietas, prohibent. [1] *Harum igitur sententiarum quæ vera sit, Deus aliquis viderit; quæ verisimillima, nostra sit quæstio.* Sed in ea discutienda, etsi magni nominis auctores de hoc *Portu* illa quæ senserint, tradiderunt; libere tamen profiteor me illorum neminem eo in loco, quo Platonem Cicero, constituturum; adeo ut *quanquam rationem nullam attulerint, ipsa me auctoritate sint fracturi.*

PORTUS ICCIUS suam a Cæsare eminentiam traxit: is enim nisi inde, tanquam e portu commodissimo solvisset, locus sepultus ac succedentibus seculis incognitus jacuisset. Ut autem a Cæsare nomen & amplitudinem derivavit, ita in plerisque eorum temporum historiis, in Cæsaris rebus gestis præcipue, principem merito locum obtinuit. Et optandum esset, ut quotquot suis scriptis illius memoriam conservarunt, nomine saltem conveniissent, adeoque nullam controversiæ materiam inde præbuissent. Dum enim Ptolemæus Ιτιον, Strabo Ικιον, nonnulla Cæsaris exemplaria *Iccium*,

1. *Cic. Tusc. Quæst.*

tium, alia *Icium*, *Itium* denique alia oſtendunt; in hac lectionum varietate, κεφάλαιον præcipuum amiſimus, quo tanquam filo ad veritatem duceremur. Quapropter ne in ipſo limine impingatur, Codicum vetuſtorum ſubſidia invocemus, quibus ex hac difficultate expediri aliquando poſſumus. Editio igitur Stephani quæ Pariſiis prodiit Anno ſalutis noſtræ 1544. *Ictium* legit; cui ſuffragatur verſio Græca Commentariorum Cæſaris de Bello Gallico, a Jungermanno edita, quæ ικτιον λιμενα oſtendit, & alio loco οκτιω λιμένι; ex quibus manifeſtum eſt, Codicem *Planudis*, ſive alterius cujuſcunque qui verſionem eam confecit, legiſſe *Ictium*, aut ſaltem *Iccium*. Alias enim ſi vel *Itium* vel *Icium* oſtendiſſet, in Ptolemæi ιτιον aut Strabonis ικιον commodius tranſtuliſſet. Sed recepta magis lectio eſt *Itium*; eam enim amplectitur editio Gryphiana anni 1549. admodum quidem emendata. Fulvius Urſinus in ſuis ad Cæſarem Annotationibus, aſſerit vetuſtos Codices conſtanter *Itium* habere; & Iccius (inquit) *nomen apud Horatium in Odis*, Itius

Itius *eſt tum in Vett. Codd. tum in argenteis ejus familiæ denariis.* Quod quidem tum a P. Ciaconio confirmatur, dicente *in omnibus libris excuſis, & aliis MSS.* Itium *legi*; tum etiam a Codice MS. admodum vetuſto in Bibliotheca Collegii Mertonenſis, quod eſt Oxonii. Tertiæ lectioni (h. e. *Icium* per c ſimplex) qui faveant, præter MS. Bodleianum, pauci admodum ſunt: quod tamen ex errore Librariorum qui minus erant periti, facile contingere potuit. Literarum enim (c) ac (t) ea eſt in vetuſtis Codicibus ſimilitudo, ut quiſquam in iis mediocriter verſatus, non difficulter conceſſurus eſt, inde lapſum proficiſci potuiſſe. Hinc ea ſcriptionum varietas, *notitia* & *noticia*: *cognitio* & *cognicio*, cum aliis infinitis, quæ crebro tum in MSS. Codd. tum in excuſis vetuſtioribus occurrunt. Quantum huic conjecturæ confert *Iccii Rhemi* appellatio, quem in ſecundo Commentariorum libro Cæſar memoravit, non audeo temere affirmare; niſi conſtaret eum hoc nomen ex habitaculo fuiſſe ſortitum. Certe ex locorum natura ac conditione, appellationes

pellationes hominum desumere, res fuit pristinis illis temporibus, gentibus præsertim Borealibus, non ita inusitata. A fluminibus autem, ad quæ hanc sive *Icii* sive *Iccii* denominationem (ut inferius patebit) existimo pertinuisse, totæ etiam provinciæ sua nomina desumere solebant: id quod eruditissimus Eques D. *Henricus Spelmannus*, nostræ nationis eximium decus, fusius ostendit in Tractatu suo MS. de *Icenis*; qui cum illius Vita, cæterisque quantivis pretii reliquiis, si mihi Deus integram valetudinem concesserit, luce publica alquando donabitur. Cæterum, hanc materiam sine *Wicciorum* etiam mentione nullo modo possum dimittere. Populus ille Comitatus Gloceſtriæ ac Oxoniæ in Anglia incoluisse dicitur, a Dobunis Romanorum temporibus habitatos. Cum autem Saxones rerum in Britannia potirentur, extincto *Dobunorum* nomine, Germanico *Wiccii* vocabantur. Non quod ipsi Saxones Latini idiomatis vocabulo eos donaverint, sed sumpta ex sua gente appellatione, Wiccaj, (quantum ex natura vocum Saxoni-

Saxonicarum exiſtimare licet) poſteris ſcriptoribus eam in Romani ſermonis genium transferendi, occaſionem præbuere. Sed hos tamen non iiſdem terminis contentos, quibus Romanorum *Dobuni*, haud immerito arbritror. Cum enim nominis rationem a *ſinuoſo Sabrinæ littore* defluxiſſe certum eſt, iſtius oræ incolas primario reſpexiſſe videtur. Quod vero ultra Gloceſtriæ fines extendebatur, apertum eſt ex *Wigorniæ* nomine Saxonico Ƿicgaꞃaceaꞅꞇeꞃ, quod non a *Wire* ſaltu deducitur, (ut opinatur Camdenus) cum is ab oppido millia paſſuum prope duodecim abeſt; ſed contrahitur ex Ƿic-ꝑaꞃa-ceaꞅꞇeꞃ, h. e. *Wicciorum Civitas*, ſive *Civitas ſinus incolentium*. Ex quibus omnibus colligo, apud veteres Germanos, noſtrorum Anglo-Saxonum Patres, *Wic* in locorum nominibus uſum ſatis frequentem habuiſſe; id quod alias demonſtrari poſſet ex ejuſmodi compluribus oppidorum nominibus, quæ in Anglia reperiuntur. Neque ſolum locorum, ſed ſpeciatim etiam *ſinuum*; unde fit ut ad noſtrum propoſitum magis accedat;

cedat; nec mirandum est si in littore maris *sinuoso*, ea appellatio locis quamplurimis contigerit. Quod vero de Germanis, sive Germanorum sobole, Anglo-Saxonibus, dictum est; idem de Gallis affirmandum: Belgis nimirum, qui propter Germanorum vicinitatem, eorum lingua usi fuisse existimantur. Quod quidem ex Cæsare ipso non obscure colligi posse videtur. Primo enim, diversas linguas in Gallia pro populorum diversitate obtinuisse, ipsum testem disertum habemus: [1] *Hi omnes lingua, institutis, legibus inter se differunt.* Deinde, Germanorum mores præsertim apud Belgas valuisse, satis manifestum facit cum eorum propinquitas, tum vero verba illa Cæsaris quæ Belgarum mores repræsentant: [2] *Horum omnium fortissimi sunt Belgæ, propterea quod a cultu atque humanitate provinciæ longissime absunt, minimeque ad eos mercatores sæpe commeant, atque ea quæ ad effœminandos animos pertinent, important: proximique sunt Germanis qui trans Rhenum incolunt, quibuscum continenter bellum gerunt.* Quis-

1. *Comment. l.* 1. *cap.* 1. 2. *Ibid.*

Quiſquis autem Germanorum deſcriptionem perlegerit, quam libro ſexto Commentariorum Cæſar inſeruit, eandem barbariem morumque aſperitatem protinus deprehendet, & unam utriuſque gentis quaſi imaginem coloremque contemplabitur.

Propoſitis hactenus quæ de genuina nominis ſcriptione habuimus dicenda, inſtituti ratio poſtulat, ut ad vocabuli veſtigia quædam atque ἐτυμολογίαν procedamus. Hæc enim eſt μέθοδος maxime naturalis, & ad veritatem indagandam compoſita; noſque contra eos ſcopulos pulcherrime armat, in quos homines alioqui graves & eruditi impegerunt. Qui quidem ne ab ultima vetuſtate repetita ſuis reliquiis privarentur, néque omnia eorum veſtigia penitus viderentur interiiſſe, ex ſuo cerebro nova & inaudita vocabula efformarunt. Hinc [1] Pauli Æmilii illud; Calitium, *unde in Angliam commodiſſimus, breviſſimuſque trajectus; ut repetito ex antiquitate nomine* Itium *vocitari jure poſſe videatur.* Idem tamen auctor [2] *Caliſium* alibi

1. *De rebus Francicis, p.* 140. 2. *Id. p.* 104.

alibi, & [1] *Caletum* etiam appellavit; ut apertum sit eo consilio conficta vocem, quò portum eum *Caleti* speciosius collocaret. Ab eodem fonte sunt Marliani ea: *Oppidum est illic populorum quibus* Caletum *nomen est. Id adjecto* Itii *portus nomine, ut quibusdam placet,* Calitium *vocatur.* Et ipsius Chifletii, quò ὑποθέσει suæ auctoritatem conciliaret: [2] Mardic, *quem si Latine efferas, aptissime* Mardiccium *dixeris*; & *dempta priore syllaba,* Iccium, *portum Julio Cæsari memoratum invenies.* In qua re mirum quantum a sua ipsius regula recedit: [3] *Sic res ipsas venari cogimur & indagare nominum conjecturis; quæ si a cognitione nostra pellerentur, politioris literaturæ pars gratior a nobis exularet.* Quam mire (inquam) isti renunciat; ejus saltem sententiam ita distorquet, ut in maximam literarum perniciem convertat. Etsi enim *res venari nominum conjecturis,* Antiquitatum cognitionem magnopere adaugeat, sensu tamen paulo saniore illud intelligi oportet. Hoc est, si ex fide indubitata monumentorum, (sive ea sunt lapidum

1. *Id. p.* 223. 2. *Cap.* vi. *p.* 39. 3. *Ibid.*

dum aut Numiſmatum inſcriptiones, ſive Codicum vetuſtorum teſtimonium ac conſenſus) vera illa ac genuina nomina fuiſſe conſtiterit: non vero ſi nomina ſuſceptæ prius a nobis opinioni nos ipſi de induſtria accommodemus. Abeant igitur hujuſmodi indicia, donec *Caletum* aut *Mardicum*, & idoneæ eſſe vetuſtatis, & *Calitium*, *Mardicciumque* ſcripta primitus fuiſſe demonſtretur. Quæ niſi facta ſint, ejuſmodi probationes quid a *Bruto* Britannorum, ac *Scota* Scotorum diſtent, non equidem intelligo.

Neque propius ad veritatem accedunt, [1] qui ab *itando*, portum *Itium* derivari contendunt, a crebris *itineribus* inde in Britanniam: aut qui a Cimbrico *Ic ſie*, h. e. video, quòd intra conſpectum Britanniæ eſſet. Non enim ſatis perpendiſſe videntur, cujuſmodi nomina Romani oppidis populiſve ſubjugatis fere indiderunt. Quæ quidem non nova (ſive ex fonte Latino ducta, ſive loci opportunitate, ſive denique caſu aliquo) excogitarunt; ſed vocabulum quod reperiſſent verna-

1. Paulus Æmilius *l. 7. de rebus geſtis Franciæ.*

vernaculum, in genium faciemque Romanam transtulerunt. Hinc apud nos *Icenorum*, *Dobunorum* appellationes, omnes quotquot Romanos auctores habuerunt; quos saniores semper in Lingua Britannica exquirunt; si qui vero ad fontes Romanos reducere conantur, non tam origines serio indagare, quam cum vocabulis ludere censentur. Hic ergo Cl^i. *du Fresne* sequenda est regula, qui graviter & acute (sicut omnia) nobis præcepit, ut quantum conjectura consequi possumus, cogitemus quo nomine apud veteres Gallos ante Cæsaris tempora Portus ille vocitaretur. Etsi enim formæ fortasse ac terminationes nominum distent, corpus tamen vocabuli integrum conservatur. Quod cæteris omnibus speciosius certe videtur, est *Wic* sive *Wics*, è quorum utravis sublato (w) litera ab organis Latinis incommode enunciata, in *Icius* sive *Iccius* facillime transit. Quamlibet vero vox ea, quantum ad sonum nostræ conjecturæ sit accommodatissima, non tamen magnopere amplecteremur, nisi accederet etiam signi-

ficationis ſuffragium. Cum enim in veteri Lingua Saxonica (Alemannicæ ſobole) tria deſignare reperitur, *caſtellum*, *vicum*, *ſinum*, quodcunque eorum accipias, non multum à loci natura abhorrere videtur. Si primum, quæ demum partes magis caſtella poſtulant, quam oræ maritimæ; ibi præſertim ubi hoſtium appulſui ſunt maxime idoneæ? Si ſecundum, quo prius loco *vicum* ſive *oppidum* exſtitiſſe arbitrabimur, quam in littore mercaturæ emolumentis commodiſſimo? Sin tertium, nihil aptius cogitari poteſt; ſi quidem omnes portus propter ſua in terram diverticula *ſinus* aliquatenus repræſentare videntur. Cui incommodo hæc ſubjaceat ὑπόθεσις, non ſane perſpicio; præſertim, ſi (quod ſuperius diſputatum eſt) *Icius* ſive *Iccius* genuinam eſſe lectionem concedatur. Longe certe probabilior eſt, quam Cl^i. du Freſne *Wits*, *Wiß*, aut *Wite*. Etſi enim ultro agnoſcimus, ea & eſſe vetuſta vocabula, & *prudentem* ſive *prudentiam* antiquitus deſignaſſe; non tamen veriſimile eſt iſtius ſignificationis voces, ullam in loco-

rum

rum nominibus partem habuisse. Natura soli; paludosum an aridum: situs, eminens an humilis, maritimus an mediterraneus; in sylvis an planis; atque hujusmodi, ea fuerunt quæ in locos appellationes derivarunt. Concedimus igitur, inter *Wits* & *Itius* esse affinitatem satis magnam; sed animadvertendum, hominum mores & ingenia oppidis denominationes raro admodum affigere; castella vero, aliaque in vocabulo *Wics* implicata, frequentissime. Adeo ut ea Camdeni aliorumque opinio de *Witsan*, quantumcunque aliunde auctoritatis recipiat, hinc modicas certe aut nullas sibi vires subministratas habet. Ad hæc, si ex *fabuli albedine* Witsandi nomen defluxerit, (id quod opinari videtur Cl. *du Fresne*, & confirmant antiquissimi Saxonum Annales, in quibus Þpit-ſanð scriptum reperitur, quod si Latine interpreteris, *fabulum album* vertendum est,) mirari debemus quamobrem Cæsar more insolitato, posteriorem vocabuli partem abjecit. Nomina vernacula, quoties in potestatem Romanorum exteræ re-

Quiſquis autem Germanorum deſcriptionem perlegerit, quam libro ſexto Commentariorum Cæſar inſeruit, eandem barbariem morumque aſperitatem protinus deprehendet, & unam utriuſque gentis quaſi imaginem coloremque contemplabitur.

Propoſitis hactenus quæ de genuina nominis ſcriptione habuimus dicenda, inſtituti ratio poſtulat, ut ad vocabuli veſtigia quædam atque ἐτυμολογίαν procedamus. Hæc enim eſt μέθοδος maxime naturalis, & ad veritatem indagandam compoſita; noſque contra eos ſcopulos pulcherrime armat, in quos homines alioqui graves & eruditi impegerunt. Qui quidem ne ab ultima vetuſtate repetita ſuis reliquiis privarentur, néque omnia eorum veſtigia penitus viderentur interiiſſe, ex ſuo cerebro nova & inaudita vocabula efformarunt. Hinc [1] Pauli Æmilii illud; Calitium, *unde in Angliam commodiſſimus, breviſſimuſque trajectus; ut repetito ex antiquitate nomine* Itium *vocitari jure poſſe videatur.* Idem tamen auctor [2] *Caliſium* alibi

1. *De rebus Francicis, p.* 140. 2. *Id. p.* 104.

alibi, & [1] *Caletum* etiam appellavit; ut apertum sit eo consilio conficta vocem, quò portum eum *Caleti* speciosius collocaret. Ab eodem fonte sunt Marliani ea: *Oppidum est illic populorum quibus* Caletum *nomen est. Id adjecto* Itii *portus nomine, ut quibusdam placet,* Calitium *vocatur.* Et ipsius Chiffletii, quò ὑποθέσει suæ auctoritatem conciliaret: [2] Mardic, *quem si Latine efferas, aptissime* Mardiccium *dixeris*; & *dempta priore syllaba,* Iccium, *portum Julio Cæsari memoratum invenies.* In qua re mirum quantum a sua ipsius regula recedit: [3] *Sic res ipsas venari cogimur & indagare nominum conjecturis; quæ si a cognitione nostra pellerentur, politioris literaturæ pars gratior a nobis exularet.* Quam mire (inquam) isti renunciat; ejus saltem sententiam ita distorquet, ut in maximam literarum perniciem convertat. Etsi enim *res venari nominum conjecturis,* Antiquitatum cognitionem magnopere adaugeat, sensu tamen paulo saniore illud intelligi oportet. Hoc est, si ex fide indubitata monumentorum, (sive ea sunt lapidum

1. *Id. p.* 223. 2. *Cap.* vi. *p.* 39. 3. *Ibid.*

dum aut Numiſmatum inſcriptiones, ſive Codicum vetuſtorum teſtimonium ac conſenſus) vera illa ac genuina nomina fuiſſe conſtiterit: non vero ſi nomina ſuſceptæ prius a nobis opinioni nos ipſi de induſtria accommodemus. Abeant igitur hujuſmodi indicia, donec *Caletum* aut *Mardicum*, & idoneæ eſſe vetuſtatis, & *Calitium*, *Mardicciumque* ſcripta primitus fuiſſe demonſtretur. Quæ niſi facta ſint, ejuſmodi probationes quid a *Bruto* Britannorum, ac *Scota* Scotorum diſtent, non equidem intelligo.

Neque propius ad veritatem accedunt, [1] qui ab *itando*, portum *Itium* derivari contendunt, a crebris *itineribus* inde in Britanniam: aut qui a Cimbrico *Ic ſie*, h. e. video, quòd intra conſpectum Britanniæ eſſet. Non enim ſatis perpendiſſe videntur, cujuſmodi nomina Romani oppidis populiſve ſubjugatis fere indiderunt. Quæ quidem non nova (ſive ex fonte Latino ducta, ſive loci opportunitate, ſive denique caſu aliquo) excogitarunt; ſed vocabulum quod reperiſſent verna-

1. Paulus Æmilius *l.* 7. *de rebus geſtis Franciæ.*

vernaculum, in genium faciemque Romanam transtulerunt. Hinc apud nos *Icenorum*, *Dobunorum* appellationes, omnes quotquot Romanos auctores habuerunt; quos saniores semper in Lingua Britannica exquirunt; si qui vero ad fontes Romanos reducere conantur, non tam origines serio indagare, quam cum vocabulis ludere censentur. Hic ergo Cl. *du Fresne* sequenda est regula, qui graviter & acute (sicut omnia) nobis præcepit, ut quantum conjectura consequi possumus, cogitemus quo nomine apud veteres Gallos ante Cæsaris tempora Portus ille vocitaretur. Etsi enim formæ fortasse ac terminationes nominum distent, corpus tamen vocabuli integrum conservatur. Quod cæteris omnibus speciosius certe videtur, est *Wic* sive *Wics*, è quorum utravis sublato (w) litera ab organis Latinis incommode enunciata, in *Icius* sive *Iccius* facillime transit. Quamlibet vero vox ea, quantum ad sonum nostræ conjecturæ sit accommodatissima, non tamen magnopere amplecteremur, nisi accederet etiam signi-

ficationis ſuffragium. Cum enim in veteri Lingua Saxonica (Alemannicæ ſobole) tria deſignare reperitur, *caſtellum*, *vicum*, *ſinum*, quodcunque eorum accipias, non multum à loci natura abhorrere videtur. Si primum, quæ demum partes magis caſtella poſtulant, quam oræ maritimæ; ibi præſertim ubi hoſtium appulſui ſunt maxime idoneæ? Si ſecundum, quo prius loco *vicum* ſive *oppidum* exſtitiſſe arbitrabimur, quam in littore mercaturæ emolumentis commodiſſimo? Sin tertium, nihil aptius cogitari poteſt; ſi quidem omnes portus propter ſua in terram diverticula *ſinus* aliquatenus repræſentare videntur. Cui incommodo hæc ſubjaceat ὑπόθεσις, non ſane perſpicio; præſertim, ſi (quod ſuperius diſputatum eſt) *Icius* ſive *Iccius* genuinam eſſe lectionem concedatur. Longe certe probabilior eſt, quam Cl^i. du Freſne *Wits*, *Wiß*, aut *Wite*. Etſi enim ultro agnoſcimus, ea & eſſe vetuſta vocabula, & *prudentem* ſive *prudentiam* antiquitus deſignaſſe; non tamen veriſimile eſt iſtius ſignificationis voces, ullam in locorum

rum nominibus partem habuisse. Natura soli; paludosum an aridum: situs, eminens an humilis, maritimus an mediterraneus; in sylvis an planis; atque hujusmodi, ea fuerunt quæ in locos appellationes derivarunt. Concedimus igitur, inter *Wits* & *Itius* esse affinitatem satis magnam; sed animadvertendum, hominum mores & ingenia oppidis denominationes raro admodum affigere; castella vero, aliaque in vocabulo *Wics* implicata, frequentissime. Adeo ut ea Camdeni aliorumque opinio de *Witsan*, quantumcunque aliunde auctoritatis recipiat, hinc modicas certe aut nullas sibi vires subministratas habet. Ad hæc, si ex *sabuli albedine* Witsandi nomen defluxerit, (id quod opinari videtur Cl. *du Fresne*, & confirmant antiquissimi Saxonum Annales, in quibus Hpit-sand scriptum reperitur, quod si Latine interpreteris, *sabulum album* vertendum est,) mirari debemus quamobrem Cæsar more inusitato, posteriorem vocabuli partem abjecit. Nomina vernacula, quoties in potestatem Romanorum exteræ re-

giones ceſſerunt, Latinis terminationibus *aucta* cognovimus frequenter, *imminuta*, ſi unquam, admodum raro.

Atque hæc quidem de rebus tam remotis & obſcuris, loci nimirum nomine & origine, pro noſtræ mediocritatis ratione, dicta ſufficiant. Ad ejuſdem ſitum, caput longe præcipuum difficillimumque, nobis denuo perveniendum. In quo inveſtigando, ſi omnes omnium opiniones in medium ſimul proferrentur, augeretur potius quam tolleretur difficultas. Dilato igitur paulum conjecturarum cumulo, ad κεφάλαια Cæſaris tanquam ad aſylum confugiamus, quibus aperte propoſitis & declaratis, majore cum fiducia ac perſpicuitate, opiniones varias (ut in viam incurrunt) aut rejicere poſſumus, aut comprobare.

1. Quin in Morinorum finibus fuerit, verba Cæſaris diſerta nullum dubitandi locum relinquunt: [1] *Ipſe cum omnibus copiis in Morinos proficiſcitur, quod inde erat breviſſimus in Britanniam trajectus.*

2. Ab eo alter, ſive portus ſive æſtuarium, VIII milliarium ſpatium diſtabat.

1. Comment. de Bell. Gall. l. 4. cap. 5.

bat. [1] *Huc accedebant* 18. *onerariæ naves, quæ ex eo loco millibus passuum* octo *vento tenebantur, quo minus in eundem portum pervenire possent.* Et de eodem paulo inferius: *Post diem quartum quam est in Britanniam ventum, naves* 18. *de quibus supra demonstratum est, quæ equites sustulerant, ex* superiore portu *leni vento solverunt.* Neque longe abfuit alter, in quem duæ onerariæ naves, quæ hos portus capere non possent, appulsæ sunt: [2] *Sed ex his onerariæ duæ eosdem quos reliquæ portus capere non potuerunt, & paulo infra delatæ sunt.* Cæterum cum horum cognitio ex ratione ventorum, ex partibus *superiore* & *inferiore*, aliisque circumstantiis quæ sunt admodum variæ pendent, nihil certi aut etiam probabilis ex eo indicio elici posse videtur.

3. Triginta circiter millium passuum distabat à continenti, h. e. Britanniâ. Sed cum milliarium numerum non literis sed figuris compendiose Librarii expresserunt, locum istum vehementer perturbarunt; nunc xxx. nunc vero xxxx. scribentes. Etsi

1. Comment. de Bell. Gall. *l.* 4. *c.* 5 2. *Ibid. c.* 7.

quidem Codd. MSS. Bodl. & Mertonenſis, & editi quotquot mihi videre contigit, xxx. legunt. Qui autem ex oris Galliæ à Britannia remotioribus Cæſarem ſolviſſe exiſtimarunt, ne ſuis opinionibus diſtantiæ ratio adverſaretur, alteram lectionem [xxxx] pertinaciter defenderunt. Sed illud partium non veritatis ſtudio feciſſe videntur. Miſſo enim, quod Codices fere xxx. legunt; dicit Cæſar ſe, unde erat breviſſimus trajectus, in Britanniam ſolviſſe; & idcirco cum omnibus copiis in Morinos profectus eſt, quod tranſitus brevitati conſuleret. Non quod brevitatem a commoditate (quam Libro v. innuit his verbis, *Quo ex portu commodiſſimum in Britanniam trajectum eſſe cognoverat*) ſejunctam velim: quo enim in loco mare maxime coarctatur, non ultra 22. mille paſſuum ſpatium habet. Sed ſi cum brevitate commoditas etiam conjungi poterit, oſtendique probabiliter quod Cæſaris etiam temporibus, portus ut propinquiores ita ſatis idonei exſtiterunt, quid eſt quod illum celeritati in primis ſtudentem, à vicinioribus

nioribus ad remotiores conjiciamus? Proferant illi *Gessoriaco* antiquiorem, unde Claudius in Britanniam trajecturus, transmisit; aut *Witsando*, cujus mentionem ad annum 569. deduxit Cl. *du Fresne*; ætas, quam ex disjunctioribus iis, quibus varii homines patrocinati sunt, ostentare nulli possunt. *Gessoriacum* tamen à Dubri XXXII. tantum mille passuum, *Witsand* verò eo spatio minus removetur. Ex distantiis indicia aut nulla aut admodum obscura deduci putat eruditissimus *du Fresne*, quòd ex eo pendent loco in quem Cæsar in Britannia appulit. De qua tamen re, mea quidem sententia, non est magnopere laborandum. Cum enim Cæsar trajectus longitudinem, nisi post primam expeditionem, non declaravit; in ea parte oræ Britannicæ milliarium numerum desinere manifestum est, ad quam si non appulit, saltem appellere constituisset. Eam autem Dubrim fuisse, Cæsaris descriptio extra controversiam ponit, neque à graviore quovis in quæstionem adducitur. Ibi nimirum portum per se commodum & op-

portunum invenit; atque in eum naves ſuas proculdubio traxiſſet, niſi [1] *montibus ita anguſtis mare fuiſſet contentum, ut ex locis ſuperioribus in littus telum adjici poſſet.* Accedit, quod Dubrim, portum fuiſſe maxime cognitum ac vulgarem, alio in loco ſatis perſpicue indicare videtur: [2] *Inſula* (inquit) *natura triquetra; cujus unum latus eſt contra Galliam. Hujus lateris alter angulus, qui eſt ad Cantium, quo fere omnes ex Gallia naves appelluntur*, &c. Non autem credibile eſt, Cæſarem in deſcribendo intervallo, milliaria idcirco aucturum, aut limites protracturum, quòd locus alioqui commodus, eo forte tempore propter bella excitata ſuo propoſito minus idoneus exiſtimaretur.

4. De viis militaribus, quibus plurimi tanquam criteriis uſi ſunt ad inveſtigandum *Iccium*; neque prorſus illæ negligendæ ſunt, neque nimium attendendæ. Ut enim ſatis diu poſt Cæſaris tempora, nullæ ejuſmodi viæ, in Occiduis præſertim Galliarum partibus, comparuere; ita veriſimile eſt, cognitâ

1 Comment. de Bell. Gall. *l.* 4. *c.* 5. 2. *Ibid. l.* 5. *c.* 5.

cognitâ jam Britanniâ & Romanorum Imperio adjunctâ, posteros ad eum locum *vias* direxisse, quem Cæsar commodissimum diligenti disquisitione cognoverat.

Hæc igitur fere sunt indicia quæ nobis Cæsaris verba ac illius expeditionis ratio suppeditant. Ad hæc exigendæ quotquot in lucem prodierunt sententiæ, ut ex hac opinionum turba ac varietate liberari aliquando speremus. De *Mardico* autem atque *Audomaropoli* nihil dicam; partim quod post acutissimum Somnerum (1 à quo in hoc Tractatu dedita opera locus uterque examinatur) quicquam à me adjici posse sperare, immodestum foret; partim quia, si forte aliqua notatu paulo digniora occurrebant, ea suis quæque locis in calcem paginæ conjeci. Neque meum consilium est eas opiniones attingere, quæ temere nimis prolatæ, primo sunt intuitu ridiculæ; aut etiam earum auctores lacessere. *Inhumanum enim est viros alioqui magnos ea in parte nominare, qua reprehen-*

1. *Mardicum* quidem per totum Tractatum, *Audomaropolis* vero Sectione 7a.

prehenduntur. Qui *Caleti* esse Iccium voluerunt, nonnulla adducti ratione istud statuere. De brevitate enim trajectus (cum inter illud Dubrimque XXVIII. circiter millia passuum interjiciuntur) laborandum non esset, si debita vetustate non destitueretur. Quanquam autem illius ætas ultra Philippi Comitis Bononiensis tempora porrigatur ([1] id quod à se contra Camdeni opinionem demonstratum innuit Cl. *du Fresne*) non tamen ad Cæsaris ævum protrahi posse, ex Olympiodoro luculente ostendit doctissimus [2] Cluverius. Error interim hujusmodi illis merito condonandus, qui in Antiquitatum infantia degentes, eam disciplinarum partem plane excitarunt; quibusque monumentorum inopia cognitionem vetustatis abstulit. Alias quasdam conjecturas sciens prætermitto, tum quod futiles sunt, & à [3] Somnero etiam in hac Dissertatione obiter refelluntur; tum etiam quia ad illas propero, quæ patronos gravissimos & nacti sunt & merue-

1. In Dissert. de Portu *Icio*. 2. German. Antiquit. de *Morinis*. 3. Vide Sectionem viii.

meruerunt. Eas dico quæ *Iccium* Bononiæ & Witsandi collocarunt; inter quas hujus controversiæ summa dependet.

Quantum autem ad nostrum institutum pertinet, duæ istæ à reliquis distinguuntur, quod hæ quidem ut à severissimis judiciis examinatæ, ita ab iisdem comprobatæ; cæteræ vero à quibusdam fortasse tumultuarie & in transitu receptæ, quoties acrium virorum examen pressius subiere, damnatæ ejectæque fuerunt. Cæteri etiam portus si unum aliquod aut alterum indicium conditionemque ostentant, reliquis fere destituuntur: (ut *Mardicum*, amplitudinem sine propinquitate; *Caletum*, vicinitatem sine vetustate; *Portetum*, aliique, nihil præ se ferunt, nisi obscura quædam vocabuli vestigia, quæ & ipsa forte à perversis quorundam ingeniis ex falsa nominum scriptione petuntur:) hi vero omnibus plane κριτηρίοις armari quodammodo videantur. Ut sive ipsorum locorum naturam, electio difficilis; sive opinionum auctores respicias, periculosa admodum sit simul & invidiosa.

invidiosa. Sed rei difficultas verecundiâ temparanda est, & dum nostræ imbecillitati prudenter consulimus, omnes ab utraque parte δογματικώτεραι λέξεις abjiciendæ. Ad Criteria igitur superius proposita.

I. In Morinis locus sibi uterque sedem vendicat; qua cum omnium consensu potiuntur, quantum ad illud pertinet, æquali jure *Iccii* dignitatem postulant.

2. Portu *superiore* & *inferiore* uterque concluditur; *Bononia*, Ambleteolo & Stapulis; *Witsandum*, Bononia & Caleto; ita ut ob illum defectum neuter sit rejiciendus.

3. Neque distantiis deficiunt; *Circiter millium passuum triginta à continenti* (inquit Cæsar.) Ubi, missa mensurarum incertitudine eo sæculo cum rerum navalium cognitio minus fuit accurata; animadvertendum est, Cæsarem milliarium numerum vocabulo *circiter* quasi lenire, & alicui utrinque spatio nonnihil loci relinquere. Frequenti autem experientia aucta nautarum peritia, compertum est, Bononiam

1. Comment. de Bell. Gall. *l.* v. *c.* 1.

niam xxxii. milliaria à Britannia abesse; *Witsandum* vero xxvi, aut xxvii. adeoque à numero Cæsaris remotiorem.

4. Vias quæ ad se ducunt militares locus uterque ostendit. Etsi enim Antoninus, Tabulæq; Peutingerianæ eas non ultra Bononiam extendunt; inde tamen ad Witsandum usque deduxit P. Malbrancq, in sua Morinorum Tabula; idque in semitarum descriptione confirmavit. Ut autem sive Cæsar Augustus, sive alius quisquam viam hujusmodi ad Witsand constraverit; certum est (id quod inferius patebit) non multum subsequentibus seculis usitatum; utpote à quibus è Gessoriaco (Bononia postea dicto) fere solutum est.

Quapropter, cum in prædictis criteriis neutrius jus multum præponderet, conjecturæ, unde hujus rei pendeat judicium, ex aliis circumstantiis petendæ. Commodius autem, mea quidem sententia, ad veritatem perveniri non potest, quam si partis utriusque rationes (difficultatibus identidem incommodisque propositis) altius

tius paulo expendamus. Primum igitur de *Witſando*. Is à Cl°. *du Freſne*
I. commendatur, I°. *Vicinitate*; & merito quidem, quippe quæ illâ omnibus ſuperior. Obſervandum tamen eſt, 1. Cæſarem, cum trajectum *breviſſimum* nominat, non de portu *Iccio* loqui, quaſi inde brevior eſſet tranſitus quam è reliquis quibuſcunque Morinorum partibus: ſed de toto Morinorum tractu intellegendus eſt, unde breviorem fuiſſe trajectum, quam è reliquis Galliarum partibus, affirmat: [1] *Ipſe cum omnibus copiis in Morinos proficiſcitur, quod inde erat* breviſſimus *in Britanniam trajectus*. 2°. Cum ipſius *Iccii* mentionem facit, trajectum *commodiſſimum* appellat: [2] *Quo ex portu* commodiſſimum *in Britanniam trajectum eſſe cognoverat*: h. e. (ſi ego recte intelligo) Marium conditione tempeſtatumque ratione per expeditionem ſuperiorem exploratis, ſatis compertum habuit ſe non alio è loco æque commode trajicere potuiſſe. Quamobrem à me impetrare non poſſum, ut (id quod contendit eruditiſſimus

1 Bell. Gall. *l.* iv. *c.* 5. 2 *Ibid. l.* v. *c.* 1.

ſimus *du Freſne*) commoditas à brevitate disjungatur, aut etiam *commodiſſimum* per *breviſſimum* explicetur; cum eorum alterum ad portum ipſum, alterum ad univerſum Morinorum populum à Cæſare referatur. Miror interim cur à Cluverio, Somnero, aliiſque, eam præſertim ob cauſam *Witſandus* rejiceretur, quod inde, propter brevitatem, trajectus ſit periculoſus & incommodus. Cum enim illi ipſi agnoſcunt, portum ſubſequentibus ſeculis celebrem fuiſſe, cumque Cl. *du Freſne* locis indubiis quæ ex Galliæ Angliæque hiſtoriis petuntur, illius per multos annos eminentiam demonſtravit; quamobrem Cæſaris æque ac poſterorum temporibus, ſatis commodus trajectui non eſſet, non equidem perſpicio. II. *Witſandus* ſimilitudine aliqua, *Itii*que reliquiis commendatur. Qui vero illud urgent, in ea ſunt opinione, [1] *Difficile admodum eſſe quicquam certi ex etymologiis concludere.* Sin autem maximæ eſſent alioqui auctoritatis, cur in hac materia nullum habere momentum debeant, II.

1 Du Freſne de Portu *Icio.*

beant, in præcedentibus uberius probatum est. III. Witsandi celebritas inde concluditur, quod ab Anno 569. ad An. 1327. portus fuerit, unde è Gallia in Angliam solutum est, & in quem è Britannia navigantes fere appulerunt. Hoc *firmissimum* argumentum vocat doctissimus du Gange, *unde portum Itium apud Witsan esse concludamus*. Nec de facto dubitari potest, quod luce clarius ex idoneis auctoribus fecit: ut, si quid vitiosum est, illud ex probationis ratione deducendum. Et 1. Si ad Cæsaris tempora illius celebritatis mentio deduceretur, argumentum istud ita validum esset ac grave, ut nullo modo refelli posset, aliis præsertim idoneis circumstantiis roboratum. Aut 2°. Si minus Cæsaris ævum pertingeret; modo constaret omne Romanorum cum Britannia commercium per ea tempora fuisse penitus præcisum, sive etiam propter Historiarum inopiam nulla eorum temporum cognitio ad nostra secula perveniisset; hoc saltem conqueretur, quia Witsandi celebritas a Cæsaris ætatem omnium proxime accederet

cederet, idcirco verisimile esse, eandem ab ipsis Julii temporibus habuisse, sed propter defectum monumentorum, ejus interiisse memoriam. Cum vero quingentis plus minus annis ne minimas quidem reliquias in ullo scriptore retinet; cum etiam magna parte illius intervalli, Romani Prætores, milites, Imperatores etiam nonnulli in Britanniam trajecerunt; cum denique distinctas habemus eorum temporum historias, quæ eam etiam celebritatem *Gessoriaco*, alteri portui, tribuerunt: quæri potest, quas ob causas, *Iccio* derelicto, non multo antea portu commodissimo, certe (si is Witsandus esset) trajectu brevissimo; se ad *Gessoriacum*, & disjunctiorem & a Cæsare rejectum, receperunt. Mihi longe probabilius videtur, (conjecturis enim indulgendum est, ubi veritatem indubitatam rerum conditio respuit,) posteros Cæsaris, partim commoditatis, partim boni ominis causa, illius vestigia insecuturos; adeoque sanius concludi, *Gessoriacum* fuisse Portum *Iccium*, propterea quod multis post id

annis à Romanis continenter frequentatum eſt; quàm *Witſandum*, quia quingentos poſt annos in uſu eſſe cœpit.

Et hoc quidem eſt quod Portum *Iccium* præcipue *Geſſoriaco* aſſerit; argumentum neque leve, neque temere dimittendum, cum ab indubitatæ fidei Auctoribus ſuſtentatur. Ex [1] Suetonio diſcimus, Claudium in Britanniam cogitantem, *a Maſſilia* Geſſoriacum *uſque pedeſtri itinere confecto, inde tranſmiſiſſe.* [2] Mela, qui iiſdem temporibus quibus Claudius Britanniam ſubjugavit, vixiſſe videtur, hæc habet: *Nec portu quem* Geſſoriacum *vocant, quidquam habent notius.* Quod a [3] Floro, quantum ad ſua tempora pertinet, confirmatur: *Idem tunc Fregellæ, quod Geſſoriacum*; quaſi nihil eo tempore eminentius cognoverunt. Non ſolum autem in oris Morinorum, primis illis temporibus *floruiſſe* Geſſoriacum conſtat, ſed ita celebrem etiam fuiſſe, ut unus Romanis uſitatus eſſet. Hinc apud Plinium

1. Sueton in *Claudio*. 2. Lib. 4. c. 2. 3. Lib. 1. c. 11.

1. Lib.

Plinium [1] *Portus Morinorum Britannicus* κὰ ἐξοχὴν appellatur: nec enim alium ibi nisi *Gesſoriacum* intelligi, Plinii locus alter manifestat, [2] *A Gesſoriaco Morinorum gentis littore.* Eandem plane ob causam apud Ptolemæum invenimus, *Gesſoriacum Morinorum Navale.* Quæ certe loca ut Gesſoriaci eminentiam ostendunt, ita cum Floro comparata, ibi portum *Iccium* non obscure constituunt: [3] *Classe igitur comparata, Britanniam transit* [Cæsar] *mira celeritate; quippe quum tertia vigilia* Morino *solvisſet* è portu, *minus quam medio die insulam ingressus est!* Ubi per *Morinorum Portum*, quis alius potest intelligi locus, quam Ptolemæi *Morinorum navale*, Plinii *Portus Morinorum Britannicus*, *Morinorum gentis littus*? Florus nimirum, qui in extremis Trajani temporibus vixit, pro more sui seculi locutus est, & *Gesſoriacum* aperte intellexit.

Quod autem de *Geßoriaco*, illud omne de Bononia affirmandum; unum enim eundemque locum esse

1. Lib. 1. c. 23. 2. Lib. 4 c. 16. 3. Lib. 3. c. 10.

Tabulæ Peutingerianæ volunt, *Geſſoriaco quod nunc Bononia* (nam *Geſogiaco* mendoſe legi pro *Geſoriaco*, ut a Marco Velſero probatum eſt, ita a nemine dubitatum.) Sin vero Tabulæ iſtæ cum tineis adhuc colluctarentur, ut magno cum commodo bonarum literarum prodierunt; Marcellini tamen teſtimonium omnem ex hac re dubitationem ſuſtuliſſe videtur. Lupicino enim apud Britannos agente, ne ille ſuperbæ mentis, turgidæque homo, fortuna Juliana audita, novarum rerum materias excitaret; [1] *Notarius* Bononiam *miſſus eſt, obſervaturus ſollicite ne quiſquam fretum Oceani tranſire permitteretur.* Hîc *Navalis Morinorum*, & *Portus Morini*, h. e. Geſſoriaci, titulum χαρακτῆραque ſatis clare indicatum conſpicimus. Niſi enim illis temporibus, è ſola *Bononia* (ut è ſolo *Geſſoriaco* dum nomen illud invaluit) in Britanniam ſolviſſent, Notario ibi *tantum* conſtituto, non ſatis omnes tranſitu prohibuiſſent, adeoq; nec caviſſent ne de rebus geſtis certior fieret Lupicinus. Quod

1 Marcellin. Lib. xxvii.

Quod vero Cl. Carolus *du Fresne* contra hanc ὑπόθεσιν de *Gessoriaco* profert, quasi verisimile non sit, eundem locum tria simul nomina obtinuisse; illud, salva etiam nostra conjectura, ultro agnoscere possumus, donec demonstretur *Itium*, *Gessoriacum*, ac *Bononiam*, aut ex illis duo aliqua eodem tempore invaluisse. Quo minus autem appellatio loci, ejus præsertim celebritatis ac frequentiæ, immutari potuisset, nullam rationem perspicio; sive illud ob casum quemvis incognitum, sive etiam (quod sæpius factum est) ob victoriæ alicujus memoriam, contigerit. Sic Romani Britanniam hanc nostram in *Primam* & *Secundam* diviserunt; deinde temporibus Constantini M. extincta superiore divisione, in *Maximam Cæsariensem*, *Valentiam*, *Britanniam primam*, *Britanniam secundam*, & *Flaviam Cæsariensem*, partiti sunt. Cum igitur ea apud Romanos, imo gentes pene omnes, consuetudo invaluit; *Gessoriacum*, Iccio, *Bononia* item Gessoriaco

ſuccedere ſatis probabiliter potuit, etſi nos propter tantum temporis intervallum, mutationis cauſas penitus ignoremus.

Hactenus igitur Portus utriuſque ſtatum cum *Iccii* Cæſariani conditione comparavimus. Sed ne, hac ſcilicet judicis aſſumpta perſona, *Witſando* iniquiores fuiſſe videamur, aut etiam *Geßoriaco* paulo favorabiliores; diſſimulare ſine ſummo ſcelere non poſſumus, quod unum *Witſando* cauſam deferre videatur. Ex Gulielmo Pictavienſi diſcimus, Aluredum, S. Edwardi Anglorum Regis fratrem, è Gallia in Britanniam redeuntem, *Doroberniam veniße, tranſvectum ex portu* Iccio. Gulielmus vero Gemeticenſis, eundem tranſitum referens, verbis diſertis affirmat, Aluredum *portum* Wiſanti *petiiſſe, & hac tranſfretantem Doroberniam veniſſe.* Loca ſatis dilucida, & (quantum ad eam rem ſpectant) ex idoneis auctoribus petita. Verum Somnerus ſibi videtur, nonnihil in *Vita Emmæ Reginæ* inveniſſe, quod cum Pictavienſis loco com-

comparatum, *Iccium* Bononiæ asserere existimat. *Statuto igitur die, Alfridus minor natu, laudante fratre, elegit sibi commilitones, & accipiens iter, Flandriæ venit in fines: quo paululum cum Marchione Baldwino moratus, & ab eo rogatus, ut aliquam partem suæ militiæ secum duceret, propter insidias hostium; sed tantum Bononiensium paucos assumpsit, & ascensis puppibus mare transfretavit.* Et sane locus hic per se sumptus, si orationis ductum coloremque intuemur, Bononiæ non minimum favet. Sed fatendum est tamen, Gemeticensis testimonium, disertum ita presumque, hujus auctoritatem longe superare. Neque ægre ferat *Geßoriacum* sive *Bononia* ab uno mediæ ætatis (in qua literatura politior non multum invaluit) testimonio oppugnari; si quidem (nisi *nostris* probationibus immoderatius indulgeamus) tam firmis rationibus ex antiquissimis Auctoribus communitur.

De

De *Portu Iccio* hactenus: cui siquid uminis (ut certe multum) Dissertatio *Somneriana* attulit; ob illud gratiæ ingentes optimo meo amico, *Jacobo Bromæo*, debentur. Ille (pro singulari sua erga Somneri memoriam voluntate) ex autographo exemplar desumptum, mecum humanissimè communicavit.

JULII CÆSARIS *Portus Iccius:*

CONTRA *CHIFFLETIUM.*

Portus Iccii eminentia.

VIRI eruditi, tam Angli quàm aliarum gentium [1] complures, cum Portûs *Iccii* ſitum ſolicitâ admodum diligentiâ quæſierunt, tum in illo invento mirifice ſibi placuêre. Hoc autem ab iis factum arbitror fuiſſe, propter *Portûs* iſtius ſingularem quandam eminentiam,

A

1 Eorum Catalogum vide infrà, pag. 3. De Portu autem Iccio, poſt tempora Somneri, Diſſertationem edidit Cl. *Du Freſne* Comes *du Gange*, in qua eum *Vitſandi* ſtatuit. Hanc in gratiam Anglorum Latinè verſam, Somneri Tractatui adnectere viſum eſt. Tempus item conſcenſionis Cæſaris, locuſque appulſûs, luculente & acute demonſtrantur ab *Edmundo Halley*, in Philoſophicis (ut vocant) Tranſactionibus, Num. 193.

1 Plinius.

nentiam, ratione & vetuſtatis, & nominis celeberrimi, & utilitatis, & indicii.

Ejus vetuſtas. 1. Vetuſtatis; quâ ſanè ſi ulli ſit ſecundus aut inferior, longè certè eſt ſuperior Portubus pleriſque omnibus, qui ei hodiè vicini in littore Belgico reperiuntur.

Nomen celebre. 2. Nominis celeberrimi; quod maximâ parte conſecutus eſt ex inclytiſſimi Cæſaris in Britanniam trajecturi, duplici in eo conſcenſione; poſtquam optimis & fortunatis ominibus, hujus Inſulæ victoriâ Imperium Romanum ampliare conſtituiſſet.

Iccii utilitas. 3. Utilitatis; brevitate enim atque commoditate trajectûs inde in noſtram Inſulam, ita celebris evaſit, ut propter magnam hominum frequentiam eò ex hâc Inſulâ tranſeuntium, iſto item è portu in hanc Inſulam ſolventium, ſortitus ſit [1] *Britannici* cognomen.

4. Indicii

1 Plinius. Lib. 4. c. 23. *Inde per Lugdunum ad portum Morinorum Britannicum*; quod de *Geſſoriaco*, adeoque *Iccio* intelligi, in Præfatione noſtra oſtendimus. Eandem ob cauſam *Lambertus d' Ardres*, qui ſeculo circiter duodecimo floruit, Witſandum, *Portum Britannicum* appellat; quia eo tempore inde frequentiſſime in Britanniam ſolutum eſt.

1 Annal

4. Indicii; plurimum enim luminis confert ad explicandum, quem ſtatum ac conditionem maria hæc anguſta, obſcuris illis & antiquioribus ſeculis habuerunt. *Iccius, index rerum aliarum.*

Quibus de cauſis, multi tum Hiſtorici tum Geographi, tam antiqui quàm recentes, tam exteri quàm domeſtici, ſua judicia in hac materia exercuerunt. Verum quot homines tot prope ſententiæ. Suæ quiſque opinioni immoderate indulget; & quaſi ſingularitatis ſtudio provecti, diverſum ſitum ſinguli tuentur. Nonnulli, ut Marlianus, ejuſque ſequaces, [1] Meyerus, Viginerius, Lhydius noſtras, Edmondſius, Speedus, omnes prope, populari quodam errore abrepti, *Caleti*; claſſis ſecunda, in qua eſt Camdenus & Ortelius, *Vitſandi*, alio nomine *Witſand* appellati: tertia, in qua eſt P. Merula, *Porteti*: quarta, *Stapulis*: quinta, *Brugis*: ſexta, *Sluyſæ*: *Variæ opiniones de Portu Iccio.*

A 2 ſeptima,

1 Annal. Flandr. p. 7. *Ex* Icio *portu, quem nunc Caliſium eſſe putamus, trajecit in Britanniam.* Adeo ut lapſus ſit Cl. Ortelius, cum dicit Meyerum *Stapulis* poſuiſſe.

1 *Itius*

septima, *ad fanum S. Audomari*: alicubi alii.

De Iccii origine opiniones.

Neque de vocabuli ἐτυμολογία ac origine in partes minus diversas discedunt. Aliqui, ut Becanus, deductum esse contendunt à Cimbrico *ic ſi*, i. e. ego video; sive ab eminentia Phari ibi antiquitus constituti, qui Dubrensi illi non est multum absimilis (is in collis summitate positus vulgo appellatur *Senex Bononiensis*) quod ex eo colle nostram hanc Britanniam conspicere clare potuerunt. Alii opinantur verius & dici & scribi *Istius portus*, quasi Lingua Belgica *Isport*, hoc est, portus ad Insulam (Albiona nempe) ducens; in qua sententia est Strickius. Tertium genus est eorum, [1] qui Joannem Jucundum Veronensem secuti, *Itii* vocabulum deducendum esse existimant, ab *itu*, *itando*, sive *eundo*, i. e. à crebris itineribus, propter magnam copiam peregrinantium, qui ex Insula nostra in eum

1 *Itius ab itando*, inquit Paulus Æmilius, Lib. 7. de rebus gestis Franciæ.

1 Vide

eum continentem confluxerunt. Varias autem conjecturas de utraque materia (loci ſitu ac nominis origine) prolatas, repetere omnino ſupervacaneum arbitror, cum eas in unum corpus collectas ediderunt Merula & Cluverius; cúmque ſcriptor ille cujus Tractatum examinamus, nonnullas numero adjectas Capite ſuo quarto repræſentavit.

Cluverii opinio de portu Iccio.

Verùm poſt miram hanc opinionum varietatem, quas homines illi de ſitu Portus hujuſce in medium protulerunt; ortus eſt Philippus Cluverius, vir (omnium eruditorum judicio) in re præſertim Geographica ſingularis ac præſtantis eruditionis. Teſtis mihi ſit inſtar omnium unica hæc periodus ex Epiſtola quadam deſumta, quam ad eum ſcripſit politioris literaturæ nuperus ille & egregius patronus, Iſaacus Caſaubonus. [1] *Perge vero* (inquit) *in ſtudio Geographico, quo in genere literarum nos olim Φιλομαθειαν oſtendimus, tu πολυμαθειαν oſtendes, quoties*

1 Vide Cluverii German. Antiquitat. Lib. 3. p. 228.

1 Berti

ties tuarum observationum aliquid edes. Atque utinam Strabonem luberet tibi recensere; nam ego lampada cursu tibi trado, & me tuum discipulum profiteor. Ille (inquam) Cluverius, institutâ [1] quæ & à nullo unquam homine accuratius præstita est) Germaniæ veteris descriptione, Portuque *Iccio* sibi in itinere obvio, de illius situ suum judicium interponit. Portum *Bononiæ* statuit; & eam sanè (ut solet) conjecturam ita validis, gravibus, & perspicuis argumentis rationibusque tuetur, ut facile crediderim orbem eruditum isti comprobatæ acquievisse; viri judicio præstitâ fide & gratiis: sive (quod in casu non dissimili his ipse verbis expressit) [2] *uti eruditissimus atque optimus quisque summo cum applausu id opusculum prosecutus sit.*

Chiffletius Librum scripsit de Portu Iccio.

Vivus interim nullum (quem quidem ego vel facie vel fama cognovi) adversarium reperit. Sed aliquot post annos, quàm mortem obiisset, Joannes Jacobus Chiffletius, Philippo IV. Hispani-

1 Bertius Commentar. L. 1. Cap. 24. 2 German. Antiquitat. L. 2. p. 139.

1 Scri-

Hiſpaniarum qui nunc eſt Regi medicus, vir alioqui doctus, (1 quantum ex cæteris ejus ſcriptis exiſtimare licet) partim ut Domini ſui Regis totiuſque Hiſpaniarum gentis gloriam amplificaret, partim ut finitimis oris, Gallicæ, Belgicæ, Anglicæque, imo orbi univerſo (2 iſti enim audet minari) terrorem incuteret, dum luculente probaret *antiquum illum, celebrem, mari-dominantem, ominoſum* Portum Iccium, multis jam ſeculis incognitum, nuperque (quod gloriatur) recuperatum, in Domini ſui Imperio eſſe conſtitutum. Vir hic (inquam) nonnulla indicia 3 à Gamelio quodam nuper deprehenſa, proſecutus, poſt-

1 Scripſit inter alia de Linteis Sepulchralibus Chriſti, Criſin Hiſtoricam: *Acia* Cornelii Celſi propriæ ſignificationi reſtituta, &c. Opera illius prodierunt Amſtelodami, circa An. 1688. 2 *Videbam* (inquit in Epiſtola Dedicatoria) *per hoc navale amplum, profundum, tutum, multis ſeculis incognitum, & per Sereniſſimam Iſabellam inſtauratum, Britannici freti imperium Philippo* IV. *Reg. Maximo nepoti ſuo reſtitutum: è quo nempe inexpugnabili cervicibus hoſtium munimento Naves Regiæ excurſionem faciunt in omne Oceani littus, Geſſoriaco & Zuino minitantur, imo & orbi toto.* 3 Hoc in Epiſtola item Dedicatoria innuit Chiffletius, in qua dicit, *Portum Mardiccium ante annos quinque, indicante Joanne Gamelio fuiſſe detectum.*

1 German.

postquam in speciosas quasdam & proposito suo accommodatas rationes incidisset; non est veritus suam de situ hujus Portus sententiam declarare, in peculiari ac sepositа Dissertatione, cui titulum dedit *Portus Iccius Julii Cæsaris demonstratus.* Verum non solum à [1] Cluverio recedit, sed ab omnibus quotquot ante se scripserant, in summa dissentit: conatus scilicet demonstrare, *Mardicum*, Flandriæ portum, inter Dunkirkam, Gravelingamque positum, esse ipsum Portum *Itium* sive *Iccium*, à Julio Cæsare memoratum: in quo bis, in Britanniam trajecturus, suas copias navibus imposuit. [2] Duplex hujus Libri prodiit editio, in Hispania altera, altera in Flandria; [3] & amplum tum à Censoribus tum ab aliis

1 German. Antiquitat. L. 2. p. 123. & Introduct. ad Geograph. Lib. 2. Cap. 12. 2 Primam Libri Editionem mihi videre non contigit; sed secunda prodiit Antwerpiæ, An. 1627. aucta & recensita; quamque adeo in citationibus sequutus sum. 3 Erycius Puteanus, in Epistola ad Chiffletium scripta, illius Dissertationem *de Portu Iccio* summis laudibus evehit. De eodem libro loquens Lucas Torrius Censor, Chiffletium dicit *feliciter invenisse portus Antiquitatem & nomen, quod ingenia eruditorum ad id tempus exercuerat.* Et

aliis, operis exquisitissimi testimonium consecutus est. Nec dubitandum, quin ab ipso auctore scriptum atque editum fuerit, summa cum fiducia se rei Geographicæ operam singularem navasse. Et quidem libere fateor, argumenta illa quibus innititur, speciosa esse & probabilia, satis etiam popularia; quæ primo intuitu magnam præ se ferunt opinionem veritatis; adeoque non ita facile refelluntur. Quod si mediocri diligentia perpendantur, acrique judicio trutinentur, longe alia esse manifestum fiet; ejusmodi plane (ut locutione materiæ idonea utamur) quæ *cribro* aquam *hauriunt*.

Nil dignum tanto tulit hic promissor hiatu.

Tandem igitur, causa Cluverii defuncti (cujus nomen & memoriam veneror, cujus eruditionem industriamque suspicio, cujus judicium ac sententiam summa cum gratitudine amplector)

Et Julius Cæsar Firufinus, Mathematicus Regius, asserit *Librum eum debere manibus Principum teri.*

plector) cauſa autem præcipue veritatis; ego, qui nuper admodum ad Libri iſtius notitiam perveni, in hac lite de *Portu Iccio* partes Cluverianas defendere conſtitui. Magnopere interim miror, neminem adhuc, emiſſa publice reſponſione, ſive Cluverii, ſive veritatis patrocinium ſuſcepiſſe. In hac ego re tractanda, ſpero me omne illud aſſecuturum, quod titulus præmiſſus pollicetur. Quamobrem, omiſſa longiore Præfatione, in certamen deſcendam; atque pugnæ inæqualitate nequicquam deterritus, operi me fortiter accingam; ſuis quæque locis illius argumenta examinaturus; Capitibuſque ejus Diſſertationis parem Sectionum numerum oppoſiturus. Primum autem renuncio omni impetui violento in hominem iſtius eruditionis, exiſtimationis, & eminentiæ, cujus eſſe Chiffletium plurima ſuadent. Sancte deinde profiteor, ita eſſe meam & mentem & voluntatem, ut Librum inſectando neque Scriptori ignominiam deſtinarim, neque meæ famæ aut rationibus conſuluerim.

SECT.

SECTIO I.

PRimum igitur, tacere non poſſum, auctorem hunc *in ipſo* (quod mali ominis cauſa dicitur) *limine impegiſſe*. Quanquam enim in primo ſuo Capite, quo limites antiquæ *Morinorum* Provinciæ his verbis deſcribit: *Continebat vero antiqua Morinorum provincia, quicquid hodie Diœceſibus Iprenſi, Audomarenſi, & Bononienſi comprehenditur, &c.* Quanquam (inquam) *Geſſoriacum* (alio nomine, quod & ipſe agnoſcit, poſterioribus ſeculis *Bononia* dictum) ad Provinciam Morinorum pertinuiſſe, aperte confiteatur; quo tamen Lectori validius perſuaderet de errore Cluverii (qui Geſſoriacum, idem eſſe quod Cæſaris *Itium* ſive *Iccium* aſſeverat) quóque locos eſſe ac portus diſtinctos diverſoſque oſtenderet; *Geſſoriacum* in ea Tabula Topographica, quam ſuæ Diſſertationi præmiſit, Morinis manifeſte excluſit. (*Geſſoriacum* dico; id ſaltem quod proprie ita appellatur: vir enim ille lenire vocabulum conatur

Chiffletius in ipſo limine impegit.

tur nova quadam & inaudita distinctione.) Inter *Morinos* enim & *Gessoriacum*, *Oromansacos* collocavit; cujus confirmandi causa, Capite 6. pag. 44. post illa Strabonis verba (*Menapiis continuantur in ora maritima Morini*,) de proprio addit, *Sequebantur in eodem litore Oromansaci, & Gessoriacus pagus.* In Capite item VIII. pagina 60. ex iis principiis sequentem Conclusionem elicit, *Unde patet luce clarius, Iccium & Gessoriacum diversos fuisse portus; quippe tota pene provinciæ Morinorum longitudine (Oromansaco pago intermedio) ab invicem discretos.* Quod si verba [1] Pliniana, *A Scaldi incolunt extera Toxandri pluribus nominibus; deinde Menapii, Morini, Oromansaci, juncti pago qui Gessoriacus vocatur*; si (inquam) ea acriter perpendantur, riteque intelligantur; Oromansacos verisimillimum est (etsi ille summa cum fiducia contrarium tueatur) ultra, sive ex adverso Gessoriaci habitasse; hoc est, ad meridiem magis; à Septentrione autem, pago Gessoriaco fuisse

Oromansaci male collocantur inter Morinos & Gessoriacum.

Oromansacorum situs.

1 Natural. Histor. Lib. 4. cap. 17.

1 Natural.

isse conterminos. Quæ certè sedes illis assignantur non solum à Cluverio, in secunda sua Tabulâ Germaniæ Cisrhenanæ, secundo Libro *Germaniæ Antiquæ* præmissâ; sed ab Ortelio quoque in tabulis Galliæ veteris Belgiique compluribus. Unde fit, ut illi *Gessoriacum* à Morinis non divellant; quod tamen auctor hic somniavit, non modo contra Plinii auctoritatem, qui [1] alio etiam loco Gessoriacum, *Morinorum gentis littus* appellat (quem ipsum locum Chifletius ad suas partes [2] alicubi transtulit) sed Ptolemæi quoque qui disertè Portum hunc, Gessoriacum, *Navale Morinorum* vocat. Horum (inquam) utrique, sed & ipse sibi, adversatur. Neque enim crediderim, distinctionem illam *de Morinis proprie dictis*, sui nimirum cerebri commentum, hoc hominem laqueo posse explicare. Re interim illa æquis judicibus permissa, progrediamur.

Oromansacorum sedes non sunt circa S. Audomaropolim.

Non me fugit, esse nonnullos, qui improbata tum Cluverii, tum Chifletii

1 Natural. Hist. Lib. IV. Cap. 16. 2 Capite 8.

fletii conjectura, in neutro horum locorum ſedes Oromanſacis concedunt, ſed in tertio ſtatuunt; intra continentem, ſcilicet, longius, in partibus interioribus circa Tarvannam & Audomaropolin. Quæ ſane illorum ſententia, quomodo cum dicto Plinii ſitu convenire poteſt, non ſatis intelligo. Etenim ille inter *extera* (h. e. ut interpretatur Chiffletius, *oram maritimam*) incolentes, eos recenſet. Mihi præterea videtur vocabuli membrum unum (*oro*) ita prope accedere ad vocem latinam (*oram* i. e. littus, extremitatem, cui reſpondet Teutonicum *ort*,) ut non obſcure indicet, eos per oras maritimas, ſive littus maritimum incoluiſſe. Verum mihi non lubet nugis nimium vacare.

SECTIO II.

Chiffletius male narravit Cæſaris expeditionem in Britanniam.

PRocedamus igitur. Proximo loco mihi eſt neceſſariò in quæſtionem vocanda Chiffletii integritas fideſque in narranda prima Cæſaris in Britanniam expeditione. Narratio ea caput ſecundum conficit. Quæ tamen

tamen eſt ita mutila, quibuſque in locis ſibi ſuiſque præconceptis imaginibus adverſatur, ita præcipitata, ita deſultoria, ut graves ſuſpicionum cauſas præbere videatur, eum in hac re Lectori impoſuiſſe. Exemplum unum accipe. Quò (opinor) ſuo iſti commento de *Ulteriore & Citeriore Portu Iccio*, viam in hominum animis præmuniret, ejuſque imbecillitas minus eſſet obvia, ubi præparationes Cæſaris ad conſcenſionem deſcribit, partem hanc Ephemeridis penitus prætermittit: [1] *Huc accedebant* VIII. *onerariæ naves, quæ ex eo loco millibus paſſuum octo, vento tenebantur, quo minus in eundem portum pervenire poſſent. Has equitibus diſtribuit.* Narrationem autem hunc in modum contrahit. *Tum contractis navibus circiter* LXXX. *onerariis, ad duas legiones tranſportandas, tertia fere vigilia ſolvit, equiteſque in ulteriorem portum progredi, & naves alias* XVIII. *conſcendere, ac ſe ſequi juſſit, &c.* Quod ſi rem totam (ut potuit ac debuit) apertè ac diſtinctè expoſuiſſet,

1 Cæſ. Comment. de Bello Gallico, Lib. IV.

1 Objecti-

posuisset, graves acutique Lectores facilius multo deprehendissent infirmitatem ac levitatem commenti istius *de Ulteriore & Citeriore Portu Iccio.* Sed hoc infra, loco magis opportuno, uberius patebit.

SECTIO III.

Chifletii nimia fiducia.

POstquam Chiffletius secundam Cæsaris in Britanniam expeditionem, illiusque ad eam apparatus tradidit; Caput tertium sententia hac insolentissima claudit: *Nos in Portu Iccio, Geographis hactenus incomperto, hærebimus; eumque per militares vias & alia criteria demonstrare conabimur.*

SECTIO IV.

Summa Capitis IVti Chifletiani.

CApite quarto, referre & repræsentare instituit, varias aliorum opiniones tam de situ *Portus Iccii*, quam ἐτυμολογία ac origine nominis. Capitis istius calci περίοδον subjungit, quæ superiori isti fiduciâ, arrogantiâ, jactantiáque nequicquam cedit: *Nos sententiam nostram dicemus paucis, per quam corruent omnes priores*, &c.

SECT.

SECTIO V.

INſtitutum ſuum proſecutus Chifletius, Capite quinto vias Romanorum militares, ad Iccium & Geſſoriacum ducentes, deſcribit. Oſtenſurum ſe recipit, præter ſemitam eam quæ ad Geſſoriacum duxit, rectà etiam aliam ad ſuum *Iccium* duxiſſe: eam nimirum (ſi ejuſmodi ulla reperiatur) quæ hodiè inter *Caſtellum* ac *Mardicum* (Eutopianum illius *Iccium*) interjacet. Etſi enim ex Itinerario (in quo, fatente ipſo, nulla illius eſt mentio) aut ex Tabulis Peutingerianis, non ulla ei auxilia ſubminiſtrentur; opinatur tamen ſuæ ſententiæ favere Neotericos quoſdam & recentiores; quales *Meyerus*, *Marchantius*, & *Gramayus*. Ex horum ſingulis nonnulla excerpſit, quæ ſuo propoſito idonea & accommodata eſſe exiſtimavit. Quorum interim nulla pro eo quicquam faciunt; in quibus nempe non minima ſui *Mardici* mentio occurrit, ſive etiam viæ cujuſquam; ſi eam excipias, quam judicio cuique ſano ſinceroque

Nulla militaris via ad Mardicum duxit.

ceroque constabit, ipsam eandem esse quæ & ab Itinerario & à Tabulis ducere dicitur ad Gessoriacum sive Bononiam. Cui rei argumento est, quòd oppida ac loca ad viam ab ipsis memoratam posita, recto ad Gessoriacum itinere etiamnum sita esse deprehenduntur: si modo in Gramayi loco *Caletum* in *Castletum* mutaveris, ut in reliquis duobus conspicitur, & in hoc proculdubio est emendandum. Chiffletius quidem semitam esse ait, quæ à *Castello* ad Mardiccium protenditur; & eam ego non esse solùm, sed & esse verisimiliter antiquam, facilè concesserim. Florente enim *Mardico* (floruisse autem credibile est, donec portus obstrueretur: cujus interitus portus vicinos, hinc *Gravelingam* inde *Dunkirkam* aperuit) semitæ erant euntibus ac redeuntibus necessariæ, in iis præsertim locis paluſtribus aquosisque: & hanc non fuisse *viam* solùm *vicinalem* (hoc est, non ad hanc tantùm villam ac vicinas primùm pertinuisse, nec fuisse solùm mutuæ societatis causâ fundatam) non invitus agnosco. Interim tamen nisi luce aliquâ

quâ clariore Romana illius vetuſtas confirmetur, tantæ eſſe antiquitatis nullo poſſum modo mihi perſuadere. Nec item me illud movet [1] quod in calce Capitis hujus adnotavit, ubi excogitatam nuper & inventam ad Iccium ſemitam obfirmare conatur contra objectionem, inde petendam, quòd eſt ab Itinerario prætermiſſa. Utrum enim illius de ſemitâ æquandâ conjectura, non æſtimanda ſit ut per ſe probabilitate, ita aliorum auctoritate vidua, limati judicii viris opinandum relinquo.

B 2 SECT.

1 Objectione illâ propoſitâ, ita diluere conatur; quòd cùm Itinerarium fuit deſcriptum, fortaſſe jam deſierat frequentari, gravi aliqua acceptâ labe, quam ſub Veſpaſiano contigiſſe putat, per Civilem Batavum. Hujus autem rei indicia quædam in Taciti L. 4. deprehendere ſibi videtur: *Civilem immenſum univerſa Germania extollebat, ſocietate nobiliſſimis obſidum firmatâ. Ille (ut cuique proximum) viſtari Ubios, Trevirósque, & alia manu Moſam amnem tranſire jubet, ut Menapios & Morinos, & extrema Galliarum quaterent: actæ utrobique prædæ.* Deindeobſervavit, nullam *Magetobriæ* in Sequanis, *Alexiæ Bibractéſque* in Æduis mentionem apud Itinerarium reperiri, ad quæ tamen oppida viæ militares ducebant; *fortè* (ita enim addit) *quia jampridem exciſa oppida & æquata ſolo.*

1 Rerum

SECTIO VI.

Chiffletii duæ Conclusiones refutantur.

AD caput igitur sextum transeo. Illud duplicem θέσιν sive Conclusionem in ipsa fronte ostentat. 1. *Mardiccium, oppidum maritimum vetus, à militari viâ ducente ad mare denominatum.* 2 *Portum Mardiccium esse Julii Cæsaris Portum Iccium.* Harum utriusque probatione plurimùm eum defeciſſe arbitror. Propter inopiam enim gravium distinctorumque argumentorum, ad cumulum nescio quem probabilitatum necessitate quadam recurrit. Eas autem suo instituto aptas esse ac idoneas existimans, κριτήρια appellat. Nolim interim quenquam mea verba ita interpretari, quasi μέθοδον eam improbem, quam certè, in hujus generis rebus præsertim, tanquam accuratam rectámque amplector; versûs antiqui præcepto accedens

Et quæ non prosunt singula, juncta juvant.

Magno-

Magnoperè autem cavendum, ne ſolus animi impetus abſque ſincero judicio; ac magis tuendæ opinionis, quàm veritatis inveſtigandæ ſtudium, temerariam optionem faciat. Quorum quidem utrum magis Chiffletium in duplici ſua θέσει tenuerit, perpenſis utrinque argumentis, æquorum hominum judicium eſto.

Prima Chiffletii theſis refellitur.

Quod igitur ad primam ſpectat; Meyerus (quantum ex Chiffletii verbis licet conjicere) prima *Mardici* initia ad tempora Clodionis Francorum Regis, h. e. ad annum gratiæ circiter 445. retulit. [1] *Adducor* (inquit) *facile ut credam* Aldenborg, Rodenborg, Turholt, Mardick, & Burborck *cum aliis nonnullis, primos Flandrorum vicos caſtelláque eâ tempeſtate exſtitiſſe.* Cùm tamen hæc illius opinio, Chiffletii propoſito minimè deſervit (eam quippe, quam is *Mardici* eſſe contendit, vetuſtatem non attingit) addit, haud obſcura hujus loci indicia deprehendi in *Notitia utriuſque Imperii*, ſive (ut vulgò appellantur) in *Libris*

1 Rerum Flandricarum Tom. 1.

1 Vide

bris Notitiarum. In iis ita ſcriptum legitur: *Sub diſpoſitione viri ſpectabilis, Ducis Belgicæ ſecundæ, equites Dalmatæ* Marcis *in littore Saxonico.* Hîc parum dubitans, quin ſuum *Mardiccium* reperierit, innuit, Librarii errore contigiſſe, ut *Marcis* pro *Mardicis* ibi conſpiceretur. Cujus confirmandi causâ, adnotat, non ullum eſſe quem novit locum, paulò certè antiquiorem, in toto litore Belgico (eâ, ut ait, ætate, *littus Saxonicum* appellato) quod ad vocabulum *Marcis* ſono propius quàm *Mardiccium* accedat. Atque ita planè ſe res habet. Attamen (mi Chiffleti) an obſecro, *littus Saxonicum* intra fines littoris Flandrici continebatur? [1] Nonne longius multo, etiam per totum littus Belgicum, atque eo ulterius protendebatur? nonne inſuper ita magnus eſt in hac re Geographorum conſenſus, ut inter *lippis & tonſoribus nota merito numeretur*? In orâ verò ſive littore Belgico, locus eſt (quem & meminiſſe poteras

Littus Saxonicum.

1 Vide Seldeni *Mare clauſum*, Lib. 2. Cap. 7.

1 German.

poteras tibi oſtendiſſe [1] Cluverium, niſi quicquid vir ille dixerit, memoriâ planè excuteres,) locus eſt (inquam) prope *Ambleteal*, in hunc etiam diem nomine *Marquiſi* cognitus. Qui, utrum vocabulo *Marcis* non ſit ſono, ſitu etiam vicinior, quàm tuum iſtud Mardiccium, cùm tibi non lubet, æquiores alii cogitent exiſtimentque.

Ex Mardici antiquitate malè concluditur, illud fuiſſe Cæſaris Iccium.

Meyerum iterum laudat, ex quo duplicem locum citat, è *Gramayo* etiam tertium; omnes eo conſilio, ut *Mardiccium* antiquum fuiſſe portum oſtendat. Id ego ultrò agnoſco. Quid igitur? An ſi dederim antiquum fuiſſe portum, inde veriſimiliter concluſeris, ejus eſſe vetuſtatis, ut *Romanorum Portus*, aut *Cæſaris Iccius* exiſtimari poſſit? Nihil ſanè minus. *Witſandus* (ſive ut nunc vocatur *Vitſan*) in eodem littore, medio circiter ſpatio inter Caletum Bononiámque ſitum, portus erat olim celebris multúmque frequentatus, donec obſtructus magnâ arenarum abundantiâ colluviéque

1 German. Antiquitat. Lib. 2. p. 132.

1 Hinc

luviéque ab æſtu ingeſtâ, ortum Caleto præbuiſſet. An verò hinc colligi poteſt, *Witſandum* aut Romanorum portum, aut Iccium Cæſaris fuiſſe? Abſque firmioribus criteriis, nunquam efficiet Chiffletius, ut ſit ſua Concluſio ſive certa ſive probabilis.

Chiffletii theſis ſecunda refutatur.

Sciendum tamen eſt ſcilicet, ei plura ſuppetere argumenta, quæ à *Mardiccii* nomine profecta, theſi ſecundæ demonſtrandæ inſerviunt. *Vulgo Flandrorum* (inquit) *effertur* Mardick, *quaſi maris* dickam, *ſive maris aggerem dicas.* Hactenus illius conjecturam probo; propterea quòd ante oſtium Portûs ripa eſt arenoſa, ſive arenarum cumulus, leugæ circiter dimidium à littore diſjunctus. In eo nuper Hiſpaniarum Rex, munimentum, ad Dunkirkæ præſidium, conſtruxit. Ripa illa vires aquarum atque impetum frangit; adeoque vallo quodam ſive foſſâ inter ſe atque littus effectâ, tuta & tranquilla navium ſtatio evaſit. Illius figuram expreſſam habes in Tabulâ ei Diſſertationi præmiſsâ; quin & loci ſtatum Chiffletius pluribus in hoc Capite explicat, quo Portûs commodita-

moditatem repræſentat. Quamobrem, hactenus (ut dixi) ei libenter aſſentior, ejuſque conjecturæ accedens, liberè agnoſco Mardicum inde eſſe appellatum, quod ſit *maris dicka*, h. e. maris agger, ſive marini operis agger. Id Anglicè vocamus a **ditth or trench**. Teutonicorum recentiorum ſermone dicitur *a ſee diich*; id autem à Kiliano, Teutonico Etymologiſtâ, latine vertitur *agger marinus, agger ad coërcendum maris impetum congeſtus*. Quod verò in ſequentibus addit; *Credo à militari viâ ad Oceanum ducente*, (conjectura meo quidem judicio origini modò traditæ plane adverſa, adeò ut ſibi eodem temporis momento contradicere videatur) in hoc hominem deſtituo, veniaque mihi roganda eſt, ut ab eo liberè diſſentire liceat.

Mardici derivatio.

Primùm enim perſpicere non poſſum, cur nomen illud huic portui potiùs apponeretur, quàm alteri cuicunque, ad quam via duxerit lapidibus conſtrata. Deinde, ſi oppidum vel portus ſuam à *viâ* appellationem eſſet mutuatus, (quod quidem ille ſuſpica-

Mardicum non nomen ſumit à viâ militari.

ſuſpicatur) aut idem nomen, aut ejuſdem nominis membrum aliquod veriſimiliter obtinuiſſet, cùm tamen viam *Streenſtreetam* & *Heyrſtreetam*, non autem *Mardiccium*, vocatam eſſe agnoſcit. [1] A Geographis quidem, multi memorantur in Orientali Flandria loci, quorum nomina cum *Mardiccio* terminatione conveniunt. Ejus generis ſunt *Iſendiick*, *Scoendiick*, *Waterdiick*, *Vremdiick*, S. Petri & S. Joannis *op den diick*, aliaque hujuſmodi. Quis autem dixerit, ad horum ſingulos viam militarem duxiſſe, unde eam ſuorum nominum terminationem ſortirentur? Tandem igitur, utra harum originum (mea, an Chiffletii) hujuſmodi locorum naturæ melius accommodetur, (cùm ipſe eorum omnium hoſpes ſum,) hominum quibus explorata ſunt, ſententiis permitto.

Antea

1 Hinc in Angliâ etiam, in locis quæ *aquis paludibúſque* abundant, illa terminatio ob eandem quoque cauſam frequenter reperitur. Sed in Flandriâ hujuſmodi locorum nomina (ut à Somnero annotatum eſt) in *Fliett* etiam ſive *Vliet* ſæpe exeunt, quod ab *æſtuario* mutuantur; ut terminationem alteram *diik*, ripæ ſive munimentis, quibus æſtuaria arinque clauduntur, debent.

Antea vero quàm ab hac parte transeo, eorum gratiâ, qui propter inſcitiam locorum minus ſunt idonei ad judicandum de illorum nominibus; liceat mihi pauca ſubjicere de Belgicâ terminatione *diick*. Hujus gentis ripæ (ut à quodam in Belgii hiſtoriâ traditur) multùm, à mari præſertim, corroduntur; ut etiam Inſulæ Zelandiæ, & illæ quæ Hollandiæ circumjectæ, ripis ac vallis ſummâ induſtriâ ædificatis ſummóque ſumtu refectis, muniuntur. Ripæ iſtæ habent in altitudine decem circiter ulnas; in latitudine, eorum parte imâ, viginti quinque. Harum materia eſt argilla, quæ comparari poteſt duriſſima; ea parte ſuâ interiori lignis & lapidibus ſuffarcinatur; exteriori, mattis firmis denſiſque velatur. Ejus gentis ſermone appellantur *Diicken*; ut qui illis præſunt homines (genere quidem officii, noſtris in Anglia *Severarum* Præfectis ſimillimi) ibi vocantur *diick-graven* & *heym-raeden*; nomina ſono diſtincta, ſenſu eadem; utrumque enim Latinorum *Aggerum Præfectum*, *Curatorem aggerum*

De Belgicâ terminatione diick.

aggerum exprimit. Adque de illis quidem hæc in præſentiâ dicta ſufficiant, qui plura cupit cognoſcere ſive de natura aggerum, ſive de officio Curatorum, Guicciardini adeat partem tertiam, in Geldriâ; atque etiam in Zelandiâ. Caput item XXVIII. Griffiandri Tractatûs *de Inſulis*, ſuâ ad hanc rem erit lectione digniſſimum.

Conjecturæ quædam Chiffletii ridiculæ.

Tranſeo igitur ad Chiffletii quæ ſequuntur conjecturas; niſi ſomnia potius atque cerebri ægrotantis deliria appellanda ſint; tam malè ſcilicet inter ſe cohærent: *Mardic, quem ſi Latine efferas* (inquit) *aptiſſimè* Mardiccium *dixeris*. Quid inde? *demptâ priore ſyllaba*, Iccium portum *Julio Cæſari memoratum invenies, quem hactenus nemo Geographorum reperit.* Dictum equidem confidenter. Quod ſi hoc admittatur; ſi Cæſaris *Iccii* in *Mardiccio* reverà reliquias habeamus; ſi etiam (quod & ipſe contendit) nomen ſuum à *maris aggere*, ſive *marini operis aggere* mutuetur (viâ lapidibus conſtratâ pro *aggere* acceptâ:) ſequetur primò, eam viam eſſe Cæſaris temporibus vetuſtiorem. Quod quidem

dem hoc ipſo Capite [1] poſteà ſubindicare non eſt veritus Chiffletius. Ætas certè à nullo unquam homine (ſi ſuſpectum Britannicæ Hiſtoriæ ſcriptorem, Chiffletiumque excipias) cuicunque viæ militari in partibus hiſce Borealibus tributa. Res item per ſe ita eſt veri diſſimilis, ut neſciam planè an majorem admirationem habeat illius in amplectendo imbecillitas, an in aliorum fidei commendando, audacia. Ego certe ut miror hominis in hac re aſſerendâ inſolentiam; ita & mirabor & miſerabor eorum ingeniorum mediocritatem (ſi aliqua ejuſmodi reperiantur) quæ eam conjecturam admiſerint. 2°. Si *Iccium* (à ſeipſo tandem terminatio conficta, cùm alii & efferunt & ſcribunt *Mardicum*, *Mardiciacum*, &c. *Mardiccium* nulli; ita tantum ab eo appellatum, quò majorem veritatis ſpeciem ſuis commentis conciliaret)

[1] Pag. 42. Mardici ſui opportunitates recenſens, inter alias *viam militarem* nominat; *quæ quidem* (ſic enim ſequitur) *cùm ante Julium Cæſarem exſtaret, & Iccio portui nomen daret, illam ſaltem lapide ſterni ipſum curaviſſe veriſimile eſt.*

ciliaret) ſi, inquam, *Iccium* poſterior ſit ſyllaba vocabuli *Mardiccium* (ego certè potius *diccium* eſſe cogitarem;) quid inde concluditur, attende diligenter; & dic mihi, obſecro, annon ſuperius poſita ἐτυμολογία, *maris dicka*, à maris aggere (quæ literam (d) ſyllabæ poſteriori adjiciendam manifeſto teſtatur) corruat, penitúſque evertatur. Annon (ut cum vocabulo pauliſper ludamus, cùm ille ſe ineptiis tantopere delectatum oſtendit) [1] *opus inquinavit?* Conjecturæ autem iſtæ nonne ſe viciſſim aperte oppugnant concîduntque? Ita proculdubio ſe res habet. Quod equidem ab ipſo Chiffletio ſuſpicor animadverſum, cum eas his verbis ſuſtentare neceſſarium arbitratur: *Verum alia criteria ſententiæ noſtræ firmandæ adjiciamus.*

Alia Chiffletii Criteria.

Ad hæc igitur criteria ſeſe accingens, proximo loco explicat plurimas portûs

1 Somneri autographum, ad *Mardiccii* vocabulum alludens, habet *Mar'd.* Illud autem idiomate Anglicano ſignificat *deturpavit*, *inquinavit*, *polluit*; & Metaphoricè ad omnes in quocunque negotio conatus minus felices transfertur.

1 Vide

portûs *Mardiccii* opportunitates; quarum omnes præter penultimam (de qua nobis eſt ſepoſito loco inferius agendum) accommodat *Mardico* hodierno, ad maris littus poſito; ejus ſtationis altitudinem prædicat atque capacitatem; quibus apta efficitur ad magnam celſarum navium claſſem recipiendam. Verum (obſecro) annon Chiffletius portum hunc ab eo diſtinguit, è quo Cæſar, primâ ſuâ in Britanniam expeditione, cum octoginta navibus onerariis dicitur ſolviſſe? Iſtum hodierni *S. Audomari* ſtatuit, rectéque vocari contendit *Portum Iccium citeriorem*; ſicut alterum, (h. e. *Mardicum*) *Portum Iccium ulteriorem*. Quid ergo tota hæc ambages ad illius propoſitum pertinet, niſi etiam has opportunitates *citeriori portui* convenire demonſtret? cujus tamen probationem ne leviter quidem tentavit. Idem reſponſum accipiunt, quæ ab eo de diſtantiâ inter ſuum *Mardiccium* Dubrímque traduntur. In calce ſcilicet hujus Capitis, operoſè conatur oſtendere, eam optimè convenire numero milliarium, quem Cæſar trajectui

ctui ab Iccio in Insulas Britannicas breviſſimo assignavit. Sed de illa re plura, cum ad proximum caput venerimus.

Strabo malè collocavit Iccium.

Interim, de Chiffletii argumento, inde petito, quòd *Cæsaris Iccium* juxta Boreale Morinorum littus Strabo collocavit, (quam certè rem diligenter adnotat, magna sibi ex eâ auxilia pollicitus;) ei equidem tum demum assentiar, cum mihi pro certo confirmabitur, ex partibus, Rheni ostio tam vicinis, conspici posse Britanniam; (id enim ex altero illo pendet.) Hoc autem nullo unquam modo posse fieri cognosco; quanquam interim fatear Strabonem in ea fuisse opinione, quod manifestum est ex variis locis librorum I. & IV. quibus expresse asserit, Cantium, Orientale Britanniæ promontorium, *esse intra conspectum Rheni ostii.* Cognosce autem, mi Chiffleti (si fis adhuc ejus rei inscius, quam ex [1] Cluverio facilè posses didicisse, quippe qui eam duplici conjecturâ illustravit.

1 Vide Cluverii Lib. 2. Cap. 16. de *Menapiis.* & ejusd. Libri Cap. 30. de *Batavis.*

1 German.

luſtravit. Videris autem illius diſciplinam contemnere, tecumque conſtituiſſe omnia ejus rejicere, & neſcio an omnes etiam cujuſcunque demum opiniones, quæ tuis modò adverſantur:) cognoſce, inquam, lapſum fuiſſe in hac re Strabonem, non minus quàm in aliis nonnullis ad ea loca pertinentibus. Hoc autem ita accipe. Non verum modo eſt, ſed & omnibus apertum, *Cantianum Promontorium* intra *Iccii* adverſi conſpectum fuiſſe. Qua re deprehenſâ, atque animadverſo Morinos eſſe Menapiis, Menapios autem Rheno conterminos, Strabo, non penitùs intellectis Morinorum & Menapiorum limitibus, arbitrabatur *Cæſaris Iccium*, Rheni oſtio multò propius quàm reverà ponitur, conſtitutum fuiſſe; adeoque propius ipſe collocavit. Strabonis errorem conſpicitis, quem non ſolùm ipſe devoravit Chiffletius, ſed etiam Lectori devorandum dedit, ſi non major ſit hujus cautio, quàm illius fidelitas. Ad quem igitur potius pertineant verba illa Cluverii, quæ in alium, (hujus hominis non diſſimilem, aliorum ut-

Strabonis error de ſitu Iccii.

pote erroribus patrocinantem) evibravit. [1] *I nunc* (inquit) *& errores auctorum variis tuis erroribus tueri, vel, quod facis, nos omnes ludere perge.* Nunc autem ad proximum illius (h. e. Septimum) Caput pergendum est.

SECTIO VII.

Portus Iccius an duplex fuit.

IGitur, post illius sive triumphum, sive assēverationem insolentem, quam hujus Capitis initio evomuit: *Sat firmis rationibus (ni fallor) docuimus* Iccium *Julii Cæsaris, portum eundem fuisse cum portu nostro Mardiccio,* &c. Post hæc (inquam) progreditur ad demonstrandum, duplicem fuisse *Iccium,* sive *Iccium* 2us habentem stationes, qui eum navium celsarum numerum reciperet, ex quibus confecta est classis Cæsariana. *Superest* (inquit) *ut ostendam* Iccium *fuisse duplicem, & geminas habuisse stationes, quibus tantus navium magnarum numerus reciperetur.* Atque nunc tandem ad suas delicias (*ulteriorem* & *citeriorem* portum Icci-

(um

1 German. Antiquitat. Lib. 2. p. 76.

1 Comment

um) pervenimus. Quamlibet autem avidè eam opinionem amplectatur, illâque quamplurimùm delectetur; ſpero me in hac cauſâ, ad oſtendendam illius imbecillitatem, ea dicturum, quibus æqui judices ab illâ penitus avertantur. *Supereſt* igitur (inquit:) & ego quidem *ſupereſſe* etiam dico; nec enim liquet ex iis quæ hactenus tradidit, ſive duplicem *Iccium* fuiſſe, ſive *Iccium* duas navium ſtationes habuiſſe. Totum hoc non aliud quicquam eſt niſi inane deliramentum, & cerebri ſibi nimium tribuentis imago. Quicquid dixit, viduum eſt omnis auctoritatis à Cæſaris verbis profectæ; à quibus tamen neceſſe eſt vel vitam vel fatum accipiat. Acie igitur utrinque diſpoſitâ, prælium committamus.

Cæſar, ſua in Morinos expeditione repræſentatâ, eo animo ſuſceptâ, ut inde tanquam ab orâ maximè finitimâ in Britanniam trajiceret; rem totam paulo infrà his verbis concludit: [1] *Navibus* (inquit) *circiter* LXXX. *onerariis*

1 Comment. Lib. 4. cap. 5.

1 Vide

rariis coactis, contractisque quod satis esse ad duas legiones transportandas existimabat; quicquid prætereà longarum navium habebat, quæstori, legatis, præfectisque distribuit. Huc accedebant XVIII. *onerariæ naves quæ eo loco millibus passuum octo vento tenebantur, quo minùs in eundem portum pervenire possent. Has equitibus distribuit; reliquum exercitum L. Titurio Sabino, & L. Aurunculeio Cottæ legatis, in Menapios, atque in eos pagos Morinorum, ab quibus ad eum legati non venerant, ducendum dedit. P. Sulpitium Rufum legatum cum eo præsidio, quod satis esse arbitrabatur, portum tenere jussit. His constitutis rebus, nactus idoneam ad navigandum tempestatem, tertiâ ferè vigiliâ solvit, equitesque in* ulteriorem *portum progredi, & naves conscendere, & se sequi jussit*, &c. Nec multo postea, *His rebus* (inquit) *pace firmatâ, post diem quartum quàm est in Britanniam ventum, naves* XVIII. *de quibus suprà demonstratum est, quæ equites sustulerant, ex* superiori *portu, leni vento solverunt*, &c.

Prius autem quàm ad verborum interpretationem descendam, (ut rem antea

antea à me notatam [1] ſecunda obſervatione proſequar,) mecum, obſecro, (Lector) adſpice, ut in Cæſaris verbis repetendis ſuam Chiffletius infidelitatem prodidit. Hanc enim ſententiam, etſi cæteris intertextam, totam omiſit: *Huc accedebant* XVIII. *onerariæ naves, quæ ex eo loco millibus paſſuum octo vento tenebantur, quo minus in eundem portum pervenire poſſent.* *Chiffletii infidelitas in repetendis verbis Cæſaris.*

Nunc ad verborum ſenſum & intellectum. In illis mentionem eſſe factam videmus *ulterioris* & *ſuperioris* portûs: qui enim in locorum proximè citatorum priore, *ulterior* vocatur; in poſteriore *ſuperior* nominatur. Res ea, Chiffletii judicio, ſatis argumenti habet ad ſtatuendum (quod ille facit) portum Iccium *inferiorem* ſive *citeriorem*: præſertim cùm Cæſar plurali numero *Portus* infrà nominavit. Semel quidem, ubi primum è Britanniâ reditum his verbis deſcribit: *Ipſe idoneam tempeſtatem nactus, paulò poſt mediam noctem naves ſolvit, quæ omnes incolumes ad continentem pervenerunt.*

1 Vide aliam ſuprà pag. 14. Sect. 11.

1 De

rariis coactis, contractisque quod satis esse ad duas legiones transportandas existimabat; quicquid prætereà longarum navium habebat, quæstori, legatis, præfectisque distribuit. Huc accedebant XVIII. *onerariæ naves quæ eo loco millibus passuum octo vento tenebantur, quo minùs in eundem portum pervenire possent. Has equitibus distribuit; reliquum exercitum L. Titurio Sabino, & L. Aurunculeio Cottæ legatis, in Menapios, atque in eos pagos Morinorum, ab quibus ad eum legati non venerant, ducendum dedit. P. Sulpitium Rufum legatum cum eo præsidio, quod satis esse arbitrabatur, portum tenere jussit. His constitutis rebus, nactus idoneam ad navigandum tempestatem, tertiâ ferè vigiliâ solvit, equitesque in* ulteriorem *portum progredi, & naves conscendere, & se sequi jussit*, &c. Nec multo postea, *His rebus* (inquit) *pace firmatâ, post diem quartum quàm est in Britanniam ventum, naves* XVIII. *de quibus suprà demonstratum est, quæ equites sustulerant, ex* superiori *portu, leni vento solverunt*, &c.

Prius autem quàm ad verborum interpretationem descendam, (ut rem antea

antea à me notatam [1] ſecunda obſervatione proſequar,) mecum, obſecro, (Lector) adſpice, ut in Cæſaris verbis repetendis ſuam Chiffletius infidelitatem prodidit. Hanc enim ſententiam, etſi cæteris intertextam, totam omiſit: *Huc accedebant* XVIII. *onerariæ naves, quæ ex eo loco millibus paſſuum octo vento tenebantur, quo minus in eundem portum pervenire poſſent.* *Chiffletii infidelitas in repetendis verbis Cæſaris.*

Nunc ad verborum ſenſum & intellectum. In illis mentionem eſſe factam videmus *ulterioris* & *ſuperioris* portûs: qui enim in locorum proximè citatorum priore, *ulterior* vocatur; in poſteriore *ſuperior* nominatur. Res ea, Chiffletii judicio, ſatis argumenti habet ad ſtatuendum (quod ille facit) portum Iccium *inferiorem* ſive *citeriorem*: præſertim cùm Cæſar plurali numero *Portus* infrà nominavit. Semel quidem, ubi primum è Britanniâ reditum his verbis deſcribit: *Ipſe idoneam tempeſtatem nactus, paulò poſt mediam noctem naves ſolvit, quæ omnes incolumes ad continentem pervenerunt.*

1 Vide aliam ſuprà pag. 14. Sect. 11.

1 De

venerunt. Ex his onerariæ duæ EOSDEM PORTUS, *quos reliquæ, capere non potuerunt, ſed paulò infrà delatæ ſunt.* Rurſum, ubi ſecundam ſuam in hanc Inſulam expeditionem ita explicat; *His rebus geſtis, Labieno in continente cum tribus legionibus & equitum millibus duobus relicto, ut* PORTUS *tueretur*, &c.

Rebus hunc in modum conſtitutis, Chiffletius duplicem hunc portum ulteriùs illuſtrat, utriuſque ſitum ac poſitionem his quidem verbis demonſtrando; *Ulterior portus in ipſo littore Oceani, fuit* Mardiccius, *de quo nos ante; Citeriorem colloco infra* Audomaropolim, *&c.* Adeone igitur duo fuerunt portus ſitu diverſi? Ita proculdubiò; id enim Chiffletius apertè agnoſcit. Hic ergo hominem conſtrictum cupio tenere; ſi enim ita ſe res habet, quid ille neſcio quæ de geminis *ſtationibus* loquitur? (ut mittam illam diſtinctionem à juridicis aliiſque poſitam, inter *ſtationem* & *portum.*)

Verum, ut Cæſaris Ephemeridem arctius ſequamur; obſervandum, eum ſuos equites non ad ulteriorem *ſtationem*, ſed ad ulteriorem *portum* progredi

gredi jussisse. Paulò etiam infrà, eorum mentione facta, solvisse eos dicit *à superiori portu.* Quid igitur sibi vult Chiffletius, cum de *stationibus* mentionem injicit? Quid etiam (ut *vada ea Itiana* paulum differamus, nam de iis nulla apud Cæsarem mentio) quid (inquam) sibi vult, *Iccium sinum* memorando, de quo etiam silet Cæsar, habitâ solùm *Iccii portûs* mentione? Abeant igitur nova hæc commenta (Iccius sinus, Iccianæ stationes) nos cum Cæsare *portum* nominemus: quem sanè si duplicem fuisse concederem, non video magnoperè quid inde lucri acciperet Chiffletius. Attende enim diligenter. Cæsar *octodecim naves onerarias commemorat*, quæ in portu altero, *ex eo loco millibus passuum octo, vento tenebantur.* Portum hunc octo millibus passuum à se disjunctum, *ulteriorem* portum posteà appellat, cùm in Britanniam trajecturus, equites, quibus eas naves distribuerat, *eò progredi, ibique naves conscendere, & se sequi* jubet. *Ulteriorem* igitur, Chiffletius (ut vides) hodiernum esse *Mardiccium* ait; *citeriorem* autem, unde solvisse

visse Cæsar dicitur, hodiernum *S. Audomari fanum.* Quis autem nescit, Audomaropolim esse bis amplius octo mille passuum à Mardico disjunctum; totidem scilicet ampliusve milliaria intra continentem situm? Adeóque, quo demum pacto Chiffletii conjectura cum Cæsaris verbis convenire potest? Præterea, etsi Mardicum fuisse portum *ulteriorem* daremus, nonne incredibile foret & absurdum, propter humilem situm portûs istius si cum *Audomaropoli* comparetur (quorum quidem oppidorum illud est maritimum, hoc mediterraneum;) nonne (inquam) incredibile foret, eum portum, *superiorem* sive vocari sive existimari? quod tamen est necessariò statuendum, si idem ille sit quem Cæsar designat; quippe quem in loco priore vocat *ulteriorem*, in posteriore portum *superiorem* appellat. Ratio certè suadet, *Audomaropolim* fuisse potius cognitum nomine *superioris.*

Ortelius non favet partibus Chiffletii.

Chiffletius quidem (quantum ego sentio) istius opinionis firmitatem desperans, instar hominis inæquali prælio decertantis, subsidia invocat.

Quamob-

Quamobrem, Ortelius illi ſubſidio venit; aut potius contra ſuam voluntatem ad confirmandam Chiffletii opinionem rapitur. Quanquam enim illius auctoritas (ut in hoc loco citatur) ſatis liquidò pro Chiffletio facit, (nam ibi fanum *S. Audomari* eſſe Cæſaris *Portum Iccium* contendit;) ſecundæ tamen cogitationes, quæ fere acriores ſunt, Ortelium in hanc mentem adduxerunt, ut ei opinioni renunciaret. Etſi ſane poſterior illa de *Iccii* ſitu conjectura nequicquam ſit priore felicior; transfert enim ad *Vitſan* prope nigrum Promontorium; de qua re, ut in viam incurrit, ſuperius mentionem fecimus. Hujus quidem retractationis ignarus putari voluit Chiffletius, eam ſedulò lectorem celans: proculdubio tamen illam ignorare non potuit; utpote de qua fuerat à Cluverio admonitus. Vir ſcilicet ille eam opinionem ineptam eſſe & abſurdam oſtendit. Cujus probationes cauſâ brevitatis prætermittens, rei ipſius judicium Lectori relinquo.

Quod

Sithieu, vetus Audomaropolis nomen, unde deductum.

Quod pertinet ad illud argumentum Ortelii, quo ſuam conjecturam corroborat, quodque ab antiquâ *Audomaropolis* appellatione *Sitieu* ſive *Sithieu* (quaſi *ſinus Iccii*) petitum, Chiffletio probatur; non ita luculentum aut grave eſſe exiſtimo, quin facilè reſponſum accipiat. Quem ob finem, loci naturam & conditionem æſtimemus ex eâ deſcriptione, quam in calce hujus Capitis tradidit Chiffletius. Hæc in ſummâ eadem eſt, quam Guicciardinus Audomaropolim deſcribens, reliquit. [1] *In lacubus* (inquit) *prope* Audomaropolim, *extra ſuburbium Aquilonare* (*ubi olim* ſinus Iccius) *vidimus inſulas natatiles non abſimiles illi, quam puerperio Latonæ claram, Ovidius levem & erraticam vocavit: ſunt veluti quædam craſſiores & tomentoſæ culcitræ, è muſco denſo, aëre multo diſtento, compactæ, cui radicularum fibris aquatica gramina ſunt intexta, quæ pratenſem virorem exhibent. Nutritur maſſa tota tenui terræ limo, qui expreſſione*

1 De pluribus hujuſmodi Inſulis legas apud Gryphiand. de *Inſulis* Cap. 6. num. 43. & ſequent.

1 Saxon.

expressione facta manu se prodit: sic prata sunt sine fundo, insula sine solo, quæ tamen veterina ferunt & homines. Non rarò innascuntur iis alni salicesque lætæ frondibus, quas exscindere solent coloni, ne ventis acti dimoveant loco insulas; sub quibus per vimina firmo solo alligatis, tempore brumali ac etiam æstivo, numerosi pisces latent, gelu devitantes & calorem, à quibus utilitas dominis. Vinculis vimineis solutæ, non tantum venti, sed etiam contis quo libeat impulsæ dimoventur, ut Calaminæ in Lydiâ Plinio memoratæ, sed & ad ictus modulantium pedum contremiscunt, ut aliæ in Nymphæo dictæ Saltuares, &c. Si igitur locum hunc respiciamus, vel 1°. ut est *lacus*, vel 2°. ut in *aquoso* ac *paludoso* loco situs, vel 3°. ut solum *muscosum*: primo sensu acceptum, verisimile est nomen istud *Sithieu* à *Seath* oppidum traxisse. [1] Vocabulum illud in veteri linguâ Saxonicâ (ea si non eadem quæ Teutonica originalis, illi saltem est admodùm affinis) *lacum* significat; unde suspicor, istius appellationis locos in

1 Saxon. Psalter. Psal. 27. v. 1. & Psalm. 29. v. 3.

Hanc

in hac noſtra inſulâ, nomen ſuum fuiſſe mutuatos; tanquam (ſcilicet) *lacui* primitùs adſidentes. Secundo intellectu, non incommodè derivari poteſt à *ſitt*, ſive *ſett* (quæ vox ut Saxonibus antiquitùs, ita hodiè Teutonibus *ſedem* deſignat) atque *eau*, nomen (ut à Verſtegano obſervatum, de cognominibus in *ey* & *ea* terminantibus diſſerente) quod Galli, inter alias Linguæ veteris Francicæ reliquias, *aquæ* tribuunt. Francica autem (ut idem vir adnotavit) ſicut noſtra, à Teutonicâ profluxit. Tertiâ ſignificatione, deductum eſſe videatur à latino *ſitus*, ut vox ea *muſcoſitatem* ſignificat, culcitris non multum diſſimilem.

Harum derivationum ſingulæ, meo quidem judicio, loci naturæ, qualitati, ac conditioni ita pulchrè aptantur atque accommodantur, (ſaltem ſi Chiffletio eum repræſentanti credimus,) ut, quod ad me attinet, incertus ſim quam earum præſertim ipſe eligam; adeoque optioni cujuſque liberè relinquo, ut ei, quam maximè probaverit, adhæreat. Satis interim certus, in quamcunque demum inciderit, eam

am minùs, certè non magis fore coactam, quam Chiffletii *Sithieu* à *Sinu Iccio*. Sed relictis nominibus, res ipsas persequamur. Annon à Cluverio ex parte alterâ confirmatum est, ex alterâ Chiffletio probatum, [1] mare potius addidisse oris Flandriæ, quam quicquam detraxisse? *Plus invehi oris Flandriæ, quàm avehi consuevit.* Age igitur, si mari aditus ad *Audomaropolim* erat aliquando patefactus (quod quidem asserit Chiffletius,) quo casu evenit, ut locum hodie prorsùs destituerit, atque ab eo tot mille passuum spatio disjungatur? Chiffletius, prævisâ (ut facillimè potuit) eâ objectione,

1 Hanc Cluverii sententiam plurimum confirmat portuum quorundam in orâ Britannicâ conditio. *Rutupium*, *Dubris*, *Hith*, *Lym*, & *Romney* (ut observavit Somnerus) recessu maris quotidie ad interitum festinant. Verisimile autem est, fatum hoc non aliunde proficisci quàm ex impetu violento, quo fluctus oras Flandricas invadunt, easque quotidie corrodunt. Mare enim quoties aliquod littus supergreditur, ripam ferè adversam paulatim deserit. Quo quidem casu brevia ea syrtésque, quas *Goodwynsands* vulgò vocamus, factas fuisse, luculentè demonstrat Somnerus, in eo Tractatu, quem scripsit de *Portubus Cantianis*. Circa tempora scilicet *Henrici primi*, perruptis aggerribus, Oceanus plurimas Insulas in orâ Flandricâ obruit, adeóque littus Britannicum paulatim deseruit. Vide Tractatum eum, p. 25.

1 Cæsar.

jectione, illam hunc in modum diluere conatur. *Nec propterea* (inquit) *credendum eſt, altum ibi fuiſſe Oceanum*, &c. *vadoſum ibi duntaxat fuit mare, quod æſtuaria faciebat, h. e. loca, quæ maris acceſſu undis replebantur, & ejuſdem receſſu vacua fiebant*, &c. His ſanari omnia & reſarciri exiſtimat. In hac autem conjecturâ non minor (ut ſic dicam) *profunditatis* defectus, quàm in mari ſuo imaginario, deprehendetur, ſi quibus innititur argumentis penitus conſideremus. Eorum præcipuum, & quod reliquis magis eſt ſpecioſum, pendet ex loco Commentariorum, qui deſcribit ſummam Cæſaris curam ad certum numerum navium humiliorum planiorúmque comparandum; in eum nempe finem, inter alios, ut vada & brevia facilius poſſent excipere. Per quæ (ut argumentatur Chiffletius) intelligendum eſt æſtuarium illud inter Portum Iccium *ulteriorem* & *citeriorem*. Verba ipſius accipe. [1] *Cæterùm, priſca illa æſtuaria inter utrumque* portum Iccium, *ulteriorem*

1 Cæſar. Comment. de Bello Gallico, l. 5.

1 Comment.

orem & citeriorem, non obſcurè nobis indicavit Cæſar, dum naves ſuas pro expeditione Britannicâ ſecundâ, ad celeritatem onerandi ſubductioniſque, paulo fieri juſſit humiliores, ad exemplum Venetarum, de quibus ipſe libro tertio: Carinæ aliquanto planiores quam noſtrarum navium, quò facilius vada, deceſſumque æſtûs excipere poſſent, &c. Quæ quidem verba eo aperte animo Chiffletius inſeruit, ut planam hujus quod ſupponit æſtuarii ſuperficiem demonſtraret. Quod ſi ita eſt, miror quo demum modo Cæſaris naves LXXX. onerariæ per iſta vada ac brevia fuerint devectæ, ſive ab Oceano ad portum *ſuperiorem*, ſive à portu iſto ad Oceanum. Præſertim, cum Cæſar ipſe dicit (quo in loco narrat quantoperè conabatur copias ſuas in oras Britannicas exponere) quòd [1] *naves propter magnitudinem niſi in alto conſtitui non poterant*; h. e. naves ſuas propter magnitudinem, tantam vim aquarum poſtulaſſe, ut iis poſſibile non eſſet prope littus accedere.

Fateor

1 Comment. de Bell. Gall. l. 4.

1 Comment.

Fateor equidem (nec enim id me fugit) Chiffletium alti cujuſdam littoris, quod eſt *Mardici*, facere mentionem: id in ipſò etiam æſtûs receſſu, & in malacia, altum eſt 6, 8, 10, aut 12 cubitos; acceſſu autem æſtûs, in majorem multo altitudinem intumeſcit. Quid verò hoc ad portum *citeriorem*, in quo Cæſar exercitum claſſi iſti numeroſæ impoſuit, & è quo ſolvit? Nihil, inquies: attamen Cæſar, quo claſſem ſuam onere levaret, quóque expeditius illa per brevia in Oceanum navigaret, equites ad *ulteriorem* portum pedibus miſit, ut ibi naves conſcenderent, ſéque ſequerentur. Hanc in ſententiam Chiffletius. Cæterum, ſi Cæſaris verba rectè intelligantur, manifeſtum ſtatim erit, eum alia ratione adductum, equites ſuos miſiſſe ad *ulteriorem* portum, quo naves conſcenderent. Ejus rei alia certè cauſa erat; hanc autem fuiſſe reverà exiſtimo. Octoginta naves onerariæ quibus equites tranſportandi fuerunt, in portu quodam, octo millibus paſſuum ex eo loco in quo Cæſar ipſe conſtitit, vento tenebantur, quo minus

nus in eundem portum pervenire poſſent. [1] *Huc accedebant* (inquit) XVIII. *onerariæ naves, quæ ex eo loco millibus paſſuum octo vento tenebantur, quo minus in eundem portum pervenire poſſent: has equitibus diſtribuit.* Quem quidem Cæſaris locum ſæpiùs repeto, propterea quòd maximè confert ad omnia Chiffletii figmenta refellenda ac refutanda. Quam ob cauſam ſuſpicor ab eo (fidelitatis certè jacturâ) deditâ operâ prætermiſſum, cùm priorem Cæſaris in Britanniam expeditionem exponit.

Quod ſpectat ad illud argumentum, ductum à Cæſaris diligentia in comparandis humilioribus ac planioribus navibus; h. e. quarum funda eſſent ita plana & æqualia, ipſæ etiam ita humiles, ut idoneæ eſſent & brevium trajectui, & quæ facillimè ad littus, ſive etiam (cùm res poſtularet) in terram deducerentur. (De ea autem re Chiffletius loco proximè citato lectorem admonet, hac additâ ſuâ obſervatione, Cæſarem in eo conſilio D reſpexiſſe

1 Comment. de Bell. Gallico, l. 4.

1 In

reſpexiſſe præſertim *æſtuaria Icciana*, illa vada ac brevia quæ inter duplicem iſtum Utopianum Iccii portum interjacent.) Ad illud (inquam) argumentum, hoc reſpondeo. Si paululum recurrentes, Commentariorum Cæſaris librum proximè præcedentem conſulamus, ex eo facillimè deprehendemus, cauſam iſtius conſilii hanc fuiſſe, quòd naves ſuas celſiores minùs aptas eſſe cognôrat, quæ ad littus Britannicum appellerentur. Littus illud dico vadoſum ac brevibus repletum, præſertim circa *Dunas* in orientali parte Cantii; [1] quo in loco, omnium pene conſenſu, Cæſar primâ ſuâ & ſecundâ etiam expeditione terram conſcendit. Primò enim, in primæ ſuæ expeditionis narratione, poſtquam tradidit quantopere conati ſunt ſui ad terram pervenire, ut etiam à Britannis repellerentur; ea adjicit: [2] *Erat ob has cauſſas ſumma difficultas; quòd*

In *Dunis* Cæſarem terram attigiſſe, acutè demonſtravit *Edmundus Halley*, in Philoſophicis (ut vocant) Tranſactionibus, Num. 193. In eodem Tractatu, tempus ejus conſcenſionis non minore perſpicuitate inveſtigavit. 2 Comment. de Bell. Gall. l. 4.

1 Plurima

quòd naves propter magnitudinem niſi in alto conſtitui non poterant. Et paulò poſt, *Hoſtes verò notis omnibus vadis*, &c. atque id genus alia. Quibus incommodis cognitis atque animadverſis, quò in poſterum occurreret; ad proximam ſive ſecundam expeditionem naves confici curat, ita ædificatas & formatas, ut brevibus vadiſque littoris Britannici accommodarentur. Unde Cæſaris illa in initio Libri VTI. *Legatis imperat, quos legionibus præfecerat, uti quamplurimas poſſent hyeme naves ædificandas, veteréſque reficiendas curarent.* His rebus ita diſpoſitis, de difficultate terram attingendi, ſequente anno (quod ſuperiore fecerat) non queritur.

Si his omnibus adduci non poſſit Chiffletius ut ſuam cauſam dimittat, nec divelli à confecto hoc & Utopiano æſtuario, quod à *Mardico* ad *Audomaropolim* protenditur; hoc mihi, ſi poterit, oſtendat; cùm difficile admodùm ſit navibus onerariis per ejuſmodi vada ac maria tranſire, cúmque inter S. Audomari fanum & Dubrim (ubi primùm Cæſar ter-

ram attigit) non minus ſit quam ſexaginta mille paſſuum ſpatium (ita probè cum Cæſaris [1] *quadraginta* convenit;) hæc (inquam) cum ita ſint, oſtendat mihi, quo modo hæc conjectura congruat cum expedito eo Cæſaris ad oras Britannicas trajectu; qui (ut ipſe fatetur Chiffletius) quinque horarum ſpatio conficiebatur: *quo in itinere* (inquit) *videtur non fuiſſe ultra horas quinque.*

Ab eo proximè quæro, an eſſet Africus ventus idoneus quo inde deveheretur: hoc tamen flante, ſe Cæſar in ſecundâ ſuâ expeditione ſolviſſe teſtatur; poſtquam viginti quinque dies Cauro fuiſſet detentus; quem in iis partibus ut plurimùm flare [2] obſervavit In hujus venti mentionem quoniam incidimus, lectoris reficiendi causâ brevem digreſſionem inſeremus.

[2] Obſer-

1 Plurima exemplaria legunt, 30. quam etiam Lectionem veram eſſe in noſtra Diſſertatione demonſtravimus: unde conjectura ea Chiffletii multo magis ridicula efficitur. 2 Bell. Gall. Lib. 5.

Cauri venti natura.

1 Obſervatum eſt Geographis, aliiſque, eſſe genus ventorum conſtantium ac ſtabilium, certis temporibus ac locis peculiarium; (ut temporibus, *Anniverſarii*; ut locis, *Provinciales* non incommode appellari poſſunt.) Prioris generis ſunt *Eteſiæ*, quæ ab Africo circa Syrii ortum, flare quotannis deprehenduntur, & ſœpiſſime dies quadraginta continuantur. Ventus ille maria à Ponto in Ægæum, imo ad Ægyptum uſque agit. In eadem ſerie ponuntur venti *Chelidonii*, ita appellati, quoniam in primo *hirundinum* adventu naſcuntur. Nonnunquam recta ab Occidente flantur; adeo ut illos aliqui pro vento eo accipiant: nonnunquam à *Cauro*; quo fit ut ab aliis inter ventos Boreales numerentur. Venti hi Chelidonii, quoties à ſeptentrionibus, aut etiam à Cauro proveniunt, totum Mediterraneum uſque ad oras Palæſtinæ

Eteſiæ.

Chelidonii.

1 Plinii Natural. Hiſt. lib. 2. cap. 47. Rem eandem obiter adnotavit Quinctilianus in libro XII. Inſtitutionum. *Quatuor* (inquit) *generaliter ventos à totidem mundi cardinibus accepimus flare; cum interim plurimi medii eorum, varietate regionum ac fluminum proprie deprehendantur.*

1 Gryphiand.

ac Syriæ intumeſcere faciunt, & in æſtate multos dies continenter durant. [1] Ejuſdem generis ſunt duo venti ſibi invicem contrarii; iique ſoli in *Ziprangi* flare obſervantur. (*Ziprangi* Inſula eſt, alio nomine *Japonia* ſive *Japan* vocata, in mari Orientali ſita.) Horum alter in hyeme, alter in æſtate naſcitur; adeo ut qui eo mercaturæ cauſa proficiſcuntur (pauci admodum illi, uni ſcilicet Mangi) ad eam hyeme navigantes, domum æſtate revertantur.

Caurus ſeu Corus. In ſecunda claſſe ventorum ponere poſſumus, de quo nunc loquimur, *Corum*, à Cæſare memoratum. Scribitur aliter & vocatur *Caurus*, per mutationem literæ *o* in diphthongum *au*, quæ propter earum affinitatem nonnunquam admittitur. *Græcis* ([2] inquit Plinius) Argeſtes *appellatur*; & Vulturno ex adverſo ponitur. Vehementer eſt frigidus (ut ſunt cæteri ſane omnes qui aliquid in ſe Boreæ habent) & grandinem fere efficit. Eſſe

1 Gryphiand. de Inſulis, cap. 32. Num. 25 2 Natural. Hiſtor. l 18. c. 34.

1 Camdeni

ſe autem *Ventum Provincialem*, Cæſaris teſtimonio comprobatur; qui ſuis etiam (ut dictum eſt) temporibus, oras illas magna parte anni eum occupare animadvertit. De qua re ſi quiſquam hodie ſcrupulum moverit, quaſi longa annorum ſeries venti iſtius ſtatum immutarit; hominem eum relego ad alterum *Julium*, cognomine *Scaligerum*, qui in ſuis Poëticis aſſerit, *Caurum* è mari Britannico naſci & flare. De illo etiam Camdenus, ſuæ Chorographicæ deſcriptioni Hiberniæ præmiſſâ, Diſſertatione de Oceano Britannico idem confirmavit; certioreſque nos fecit, ventum hunc in Hibernia ſævire vehementer, & tyrannidem quandam exercere. Quæ cauſa poteſt eſſe maxima, ut Oceanus in iis partibus ſit perpetuo tam tumultuoſus & aſperus; utque toties fatalis ſit iis hominibus, quos ſua negotia (ſive ea ſunt mercaturæ, ſive peregrinationis) illius violentiæ exponunt. Eodem impetu *Caurum* hunc in Bataviam vehi (utpote qui congeſtis arenarum cumulis, medium Rheni oſtium obturavit)

ab

[1] ab eodem erudito viro alibi obſervatur. Neque minus Friſiæ oras affligit infeſtatque, [2] in quibus vim impetuoſam obtinet, quæ à Tacito, in ſecundo Annalium libro, Auſtris falsò tribuitur. Belgicus etiam Oceanus, violèntiâ atque impetu hujus venti, cui quidem exponitur, quantam continenti injuriam fecit, plurimis ſuo detrimento expertum eſt. Teſtis mihi ſit, quod in Hiſtoriis de eo legimus; ut dejectis ripis uſitatis, oppida multa ac vim hominum infinitam in inferioribus Germaniæ regionibus, Hollandia & Zelandia, devorarit: circa initia præſertim Henrici I. Hujus venia, compluribus incolarum, qui cum vitis effugerant, & derelictâ patriâ in hanc Inſulam tranſierant, ſedes conceſſæ ſunt; primum *Carleoli*, deinde in Walliâ. Cujus rei hiſtoriâ abundant noſtri eorumque Annales.

Valla & foſſæ in Hollandia. &c.

Atque ut mali mores cauſæ ſunt bonarum legum conficiendarum, quæ vel ejuſmodi poſtea incommodis occurrant,

1 Camdeni Britannia, in *Norfolcia.* 2 Vide Gryphiandr. de Inſulis. Cap. 18. Num. 40.

1 Vide

currant, vel delinquentes pœnis coerceant; ita hoc atque alia hujuſmodi diſcrimina tam infelicem exitum habentia, inferioribus Germanis ſeculorum ſequentium, inventionem dictarunt foſſarum complurium, inciſurarum, & vallorum: de quibus ſuprà diximus in Sectione vr^a. quibúſque tantum iſtius nationis ſingulæ partes abundant. Cùm enim propter altitudinem vallorum quibus utraque ripa augetur, fluctuum impetui fortiter obſiſtitur; incolæ ex ſecuritate ab ejuſmodi periculis magnum ex eo tempore emolumentum accipiunt. [1] Huic præſertim (h. e. *Cauri* his in locis furori & violentiæ) deberi credo portuum nonnullorum, in his ac vicinis oris poſitorum, ruinam ac interitum; aliorum etiam conditionem inclinatam, imminentemque obſtructionem. *Bononia* (ut ab uno ex antiquiſſimis ordiamur) abundantiâ arenarum, aliorumque generum colluvie, (quam hujus venti impetu maximâ ex parte, in eum portum coactam

Portus in ora Flandricâ, &c. obſtructi.

1 Vide Cluverii German. Antiquitat. Lib. 3. p. 66.

1 Ovid.

ctam arbitror) ita hodie oneratur & prope ſuffocatur, ut in receſſu æſtûs prorſùs ſit arida, quotidianâ in pejus inclinatione brevi tempore peritura. *Witſand* ſive *Vitſan* prope nigrum Promontorium, portus in eodem littore vetuſtus & frequentatus, à peregrinantibus præſertim inter Galliam atque Angliam; nunc penitùs obſtruitur, atque exolevit. *Caleti* commoditatem utilitatemque non ſine ſummo ſumtu ac diligentiâ tuentur; quod ipſum nihilo minus in magno eſt ſuffocationis periculo. *Mardicum* (de quo nunc agimus) penitus periit. *Dunkirkæ* idem imminet fatum; quotidie enim magis magiſq; arenoſis cumulis affligitur, quibus fit curſus aquarum anguſtior. Ut mittam alios

——— [1] *quorum confinia Pontus*
Abſtulit, & mediâ tellurem reppulit undâ;

Neque eſt neceſſe repetere id quod ſuperiùs adnotavimus de uno ex Rheni oſtiis, per hujus venti tyrannidem atque

1 Ovid. 15. Metamorph.

1 De

atque violentiam obturato. Huc referri non incommode poteſt, quòd (ut ex Bodino [1] obſervavit Gryffiander) aquarum effluvia & inundationes utplurimum à Septentrionibus profectæ, ad Auſtrum deferuntur. Unde noſtrûm Cantuarienſium, totiuſque iſtius tractûs humilioris in quo ea civitas conſiſtit, vulgaris eſt ac recepta obſervatio,

Aquarum inundationes à Septentrionibus ad Auſtrum delatæ.

(*Sic parvis componere magna ſolebam*)

nunquam nos aut rarò admodùm inundationibus vexari, niſi vento flante à Septentrionibus. Ille nimirùm ventus tumidum rèddit Oceanum, in quem fluvius *Stoure* verſus Septentriones effunditur; adeóque flumen propter defectum ſolitæ ſuæ iſto in loco exonerationis, retroagitur atque repellitur. Paucis igitur id quod ſentio, dicam. Venti hujus topici ſive Provincialis (*Cori* ſcilicet) furorem, cauſam eſſe unam arbitror, eámque præcipuam, horum ſimiliumque caſuum acerborum, quibus illæ oræ afflictæ fuerunt.

Caurus, cauſa inundationum in Hollandiâ.

1 De Inſulis, Cap. 29. Num. 49.

1 German.

fuerunt. Non quin alias ſecum aliquando conjunctas habuerit; cujuſmodi ſunt, primùm, perpetui maris æſtus atque tumultus; in novilunio præcipuè ac plenilunio, cùm propter æſtuarios fluctus altiùs intumeſcunt, exundant magis, & motûs ferè ſunt quàm aliis temporibus turbulentioris. Deinde (quantum ſpectat ad partes hujus oræ Septentrioni paulò propiores) concurſus, conflictationes, ac certamina æſtuum Borealium atque Auſtralium. His (inquam) ſimiles, cauſæ eſſe potuerunt; quas tamen arbitror ſolum (ut ſic dixerim) *concomitantes* fuiſſe; dum interim altera illa, ſi non ſumma fuerit & principalis, æquales tamen vires virtutémque ad ea efficienda contulerit. Irati enim atque turbulenti fluctus hoc vento agitati, magno impetu littus invadunt; quaſi in ea Virgilii imprecatione,

——— *migret Neptunus in arva*
Fluctibus, & ſpiſſa campos profundat arenâ,
Dicantur mea rura ferum mare, &c. -----

Verùm de his ſatis. Digreſſione à propoſito

propoſito longiore intermiſſa, ad Chiffletium revertamur; qui etſi ſatis ſit certus nihil ad ea confirmanda deſiderari quæ de ſuo Mardiccio tradidit (ea ſcilicet omnia Cæſaris *Portui Iccio* probe convenire ac congruere;) quò tamen Lectori uberius ſatisfiat, ei novum & à ſe nunc primùm inventum *Iccium Promontorium* oſtendit. *Inter utrumque portum, vadoſo iſti mari imminebat* Promontorium Iccium, *Ptolemæo* Ἰκιον ἄκρον; *è conſpectu Cantii, Albionis Promontorii. Id ipſum fuiſſe reor montem illum, quem, fortè quod vadis Itianis immineret, Vatenum nominarent. Guicciardinus multa antiquitatis monumenta inibi effodi annotavit; ibique olim fuiſſe creditur pharus ex adverſo alterius in monte Dubrenſi poſita, cujus rudera admodum attenuata ſuperſunt. Vatenum montem undequaque priſca æſtuaria ambiebant, exindeque aurâ ſerenâ Britannia clare conſpicitur.* Hæc ille. Inventum, & revera inventum; ita indignum limati judicii patrocinio, ut mirer ipſum amplexum fuiſſe; multò autem magis, aliorum fidei propoſuiſſe: præſertim, poſtquam ei ſummo judicio

Iccium Promontorium Chiffletii.

dicio occurrit [1] Cluverius; ad quem brevitatis causa lectorem remitto, ut de istius opinionis improbabilitate, ne dicam absurditate, convincatur. Neque aliam ei dare responsionem constitui, ne refutatione viderer nimium nugis ejusmodi tribuere.

Quamobrem autem hoc mihi mirum videretur? Cùm enim verisimile est (id quod à Cluverio observatur) Ptolemæo *Itium Promontorium* à portu ita appellato suum nomen desumsisse, (ex quo concluditur eorum vicinitas:) Chiffletium oportuit, ut tota Dissertatio omnibus numeris absoluta videretur, néque *Mardicum* ullo (ut sic dicam) *essentiali*, aut signo requisito careret, quo minus vero *Portui Iccio* responderet; eum (inquam) oportuit *Promontorii* nonnihil investigare, quod vicinitate saltem confecto suo *Iccio* conveniret; etsi alioqui veri dissimile & absurdum. Quis enim anteà unquam existimavit, *Iccium Promontorium* situ fuisse mediterraneum. *Adeo ubi fabulis semel carceres removeris, nulla invenitur*

1 German. Antiquitat. Lib. 2. p. 123.

1 Bertius

invenitur meta mentiendi. Id olim à Goropio dictum, cui gravior cauſa quàm mihi nunc eſt, evibrandi eſſe non potuit.

SECTIO VIII.

FIni jam tandem appropinquamus; & cùm Chiffletium per ſingula ſuæ Diſſertationis capita præter ultimum, ſumus inſecuti; nunc illius Concluſionem videamus. Summa igitur hujus Capitis, auctoriſque in eo conſilii, hæc eſt, Dividere (ſi poterit) & diſtinguere *Itium* ſive *Iccium* à Geſſoriaco; hæc (inquam) loca ſeparare, ac duo eſſe demonſtrare: propterea quòd operam ſuam atq; oleum perdidit, ſi illa eadem ſint; h. e. ſi *Geſſoriacum* (hodie *Bononia* dictum) idem ſit quod *Itium*, ſive è contra *Itium* quod *Geſſoriacum*. Ea ergo diverſa eſſe oſtenſurus, contra Velſeri Cluverii que judicium, his verbis Ptolemæum appellat; *Cæterum, quod Marcus Velſerus & Philippus Cluverius affirmant* Portum Iccium *eundem fuiſſe cum* Geſſoriaco, *qui poſterioribus ſeculis dictus*

Geſſoriacum & Iccium non ſunt loca diſtincta.

ctus sit Bononia, *falsum est, si Ptolemæo fides; is enim licet* Icio Promontorio & Navali Gessoriaco *eundem tribuat latitudinis gradum, scilicet* LIII. *& scrupulum eundem, scilicet* XXX. *tamen in longitudine valde differre ostendit, quod uterque locus eidem quidem subsit longitudinis gradui* XXII. *sed* Icium Promontorium *sub indicati gradûs scrupulo* XV. Gessoriacum *verò sub scrupulo* XLV. *Unde plane necessum est, non fuisse eadem juxta veteris Astronomiæ calculum*, &c. Vanum sanè & frigidum argumentum. Positâ enim eâ longitudinis differentiâ, quam Ptolemæus *Icio Promontorio* & *Navali Gessoriaco* tribuit (in scrupulo nempe gradûs longitudinis, quo aliqua inter locos distantia efficicitur; h. e. exponente Merulâ, quo *Promontorium* fit situ magis Occidentale quàm *Gessoriacum*, adeóque littori Britannico aliquanto propius,) hac, inquam, positâ differentiâ, nonne tamen *Portus Iccius* & *Gessoriacum* eadem esse potuerunt? Prætereà, annon hoc in loco errorem contigisse possibile est, sive in ipso prototypo, sive etiam exemplari? Cùm enim (ut

(ut [1] nonnulli adnotarunt) figuræ numerales [apud Ptolemæum] falsò sæpissime statuuntur; quam facile lapsu vel auctoris vel librarii, levis ille error in differentia longitudinis positus, utriusque oculos posset effugere? Longe certe facilius, quam collocatio *Iccii Promontorii* ante *Gessoriacum Navale*; error, neque immerito, ab ipso Chiffletio, Ptolemæo objectus. Quod si etiam concedatur, nihil hic esse in longitudine lapsum, locaque quoad illam tantum revera spatium distasse; quid inde auctoritatis elicit Chiffletius, ut quoad latitudinem tanto intervallo *Gessoriacum* atque *Itium* distinguat? hoc nempe statuit *Mardici*, illud *Bononiæ*; quæ loca leugis minimum decem separantur.

Oromansaci malè collocati inter Itium & Gessoriacum.

Mihi non erit necessarium hoc in loco observare, eum inter Itium & Gessoriacum *Oromansacos* constituisse, quo illa loca distraheret, sive etiam Gessoriacum excluderet è Morinis, *proprie* saltem (ut illud vocabulum leniit) *ita appellatis*. Id (inquam) necessarium

1 Bertius, Coment. part. 1. in fine.

1 Vide

non erit, cum [1] in principio hujus Tractatus rem eam animadverti, & (nisi me mea fallit opinio) confictam istam divisionem dilui prorsus & refutavi.

Rem igitur perpende, lector æque, deinde judica. Post tantam diligentiam à Chiffletio Capitibus superioribus adhibitam, ad hæc loca separanda, & ad persuadendum omnibus ea triginta amplius milliaria distare (nec enim minus spatium abest *Mardicum* à *Bononia*,) quàm invalide in hoc Capite ita esse ab eo probantur? Adeo *veri* magnæ sunt & invictæ vires, adeoque vani hominum conatus qui sua commenta veritati præferunt. Quapropter, Chiffletii veniâ, summâ tamen eruditorum, subtiliumque judiciorum reverentiâ, non verebor contra eum asseverare, *Portum Mardiccium non fuisse Cæsaris Portum Iccium.*

Hactenus partem tandem negantem prosecutus, Mardicum non esse *Portum Iccium* Cæsaris ostendi. Lectori etiam patientissimo tempus nunc esse

1 Vide Supra pag. 12.

1 German.

esse videbitur, ut ea naturæ lenitate quam mihi præbuit in parte negativa (h. e. puro non ente) discutienda, abuti jam tandem desinam, & tædium istud leniam, partis positivæ sive affirmantis tractatione. Id ego esse æquum agnosco; adeoque ut de parte utraque Lectori plene satisfiat, summâ quam capit loci natura probationis perspicuitate, verum situm & positionem Cæsaris Portus *Iccii* investigare conabor. Quid autem hoc est (inquies) nisi actum agere? Præstitum illud antea à Cluverio, cujus opinione comprobata atque recepta, quid pluribus opus est? Vere quidem dictum. Cæterum, eorum gratia qui Cluverii opera ad manus non habeant, præsertim vero ne nostra hæc Dissertatio, imperfecta & (quod vulgo dicimus) dimidia solum ex parte absoluta videatur; tractare etiam constitui partem affirmantem sive positivam, eam (tanquam canis ad Nilum) breviter admodum perstricturus.

Primum igitur quæramus & indagemus, quos portus vel nos hodie habemus, vel patres olim habuerunt, in

Portus celebres in litore Morinorum.

ora maritima Morinorum positos. Istius populi provinciæ etsi totam Flandriam concedamus (quanquam ea à nonnullis intra fines Occidentalis Flandriæ concludatur) & ab Oriente, Scaldi; ab Occidente, Oceano terminemus; dato hoc (inquam) & sumto à Scaldi initio, portus hodierni sunt, 1. *Ostenda.* 2. *Novo-portus.* 3. *Dunkirka.* 4. *Mardicum.* 5 *Gravelinga.* 6. *Caletum.* 7. *Bononia.* Præter hos, alium etiam in eo tractu cognovit antiquitas, quem *Witsand* appellavit, prope *nigrum Promontorium.* Prætermitto sciens *Ambleteolum*, *Stapulas*, atque ejus generis alios, qui non vulgo portubus accensentur; sed fere sunt (sicut apud nos *Taneti-itinera*) æstuaria sive stationes, solis piscatoribus utiles; adeoque (si Cluverio eos repræsentanti credimus) nullo *Portuum* usui deserviunt. [1] *Hi* (inquit) *non tam portus erant commodi atque celebres, quam littora portuosa, ubi exigente necessitate naves statui poterant, quæ nunc etiam non nisi à piscatorum navigiis frequentantur.* Horum priorem *Amble-*

1 German. Antiquitat. Lib. 2. p. 129.

1 Lhuyd.

Ambleteolum dico, eam esse crepidinem existimo, quæ Petro, Ecclesiæ S. Augustini (ea est Cantuariæ) Abbati primo, fatalis exstitit. De illo legimus, legatum in Galliam missum, *in sinu* (verba auctoris habes) *qui vocantur Ampleat*, demersum fuisse. De qua re, uti etiam de illius sepultura apud Bononiam, plura, cui libet, inveniet in Capite XXXII, Libri I. Bedæ Historiæ Ecclesiasticæ. Verum hæc obiter.

Inter portus autem superius positos, quo verum possimus investigare, & à supposititio quovis discernere, primum indicium ex verbis Cæsaris petitum, hoc est; Exquirere quis sit in eo litore, & proximus, atque etiam trajectui in Britanniam commodissimus. Secundum hoc statuamus; portum ejusmodi eligere, qui classem Cæsarianam propter magnitudinem caperet, & cujus vetustas ac origo non sint Cæsaris temporibus inferiora. Quærimus igitur portum proximum, commodissimum, antiquissimum; eum (inquam, in quo omnes hæ conditiones concurrunt. Pyxis hæc est, cujus *Portus Iccii signa.*

unius ductu ad portum optatum ſperemus pervenire; adeoque experiamur quis ſit ille ex portubus dictis, ad quem hæc ſigna potiori, quam ad reliquos, jure pertineat.

Oſtenda non eſt Portus Iccius.

Primum itaque, *Oſtenda* eſſe non poteſt. Etſi enim vetuſtatis eſſet idoneæ, tamen (quemadmodum [1] qui *Caleto* aſſeruit, ob eam cauſam *Scluſæ* denegavit, quod hæc Caleto longius à Britannia abeſſet,) *Oſtenda* multo longius eſt remota, quam ut alia indicia Portus Cæſariani (*proximus* & *commodiſſimus*) ad eam pertineant.

Novo-portus non eſt portus Iccius.

Neque ſecundo *Novo-portus*, tum propter nimiam illius diſtantiam, tum ratione antiquitatis, cujus defectum vel nomen ipſum ei exprobrare videtur; ſi modo primam ſuam ſyllabam à portu, non autem ([2] ut quidam contendit) ab oppido mutuatus fuerit.

Dunkerka, aut Gravelinga non eſt Portus Iccius.

Quod ad tertium quintumque (*Dunkerkam* nempe & *Gravelingam*) ſpectat, ſi non ii quoque nimio intervallo [à Britannia] diſtinguuntur; norunt tamen

1 Lhuyd. Fragment. Fol. 12. b. 2 Vide Guicciardin. in *Flandria*.

1 Hæc

men omnes illis ad hanc rem vetuſtatem deeſſe, ut quibus originem dederit vicini portus *Mardici* interitus. Teſtes mihi ſint tum Meyerus tum Gramayus, quorum uterque in eum finem à Chiffletio citatur. Verum tamen nec *Mardicum* eſſe [Portum Iccium] ſperare audeo Lectorem facile conceſſurum, poſtquam ea quæ ſuperius contra Chiffletium urgentur, animadverterit.

Caletum non eſt portus Iccius.

Caletum (fateor) ſi ſolam diſtantiam ſpectes, Cæſaris deſcriptioni ſatis apte reſpondere videtur; modo libros vulgares ſequamur, qui xxx tantum milliaria ſpatio tranſitus aſſignant: nimis autem multo eſt recens, quippe qui parum ultra quadringentos abhinc annos primum portus evaſerit. [1] Sub id quidem tempus, anno ſcilicet 1234. Monachi Eccleſiæ Chriſti Cantuarienſis (quòd in portibus Gallici littoris nonnihil haberent negotii, & propter tranſportationem centum doliorum vini, quæ iis, largitione

1 Hæc ex Libro MS. Eccleſiæ Cant. de Privilegiis, deſumpſit Somnerus, ut in ſui Autographi margine annotavit.

1 Vide

tione Ludovici VII. Galliarum Regis, à Cancellario de *Poiſſy*, quod oppidum eſt prope Pariſios, ſingulis annis perſolvenda fuerunt; [1] quam quidem rem alio in loco tractavi:) Monachi, inquam, Cantuarienſes à Matildi, eo tempore Comitiſſa Bononienſi, iiſque Chartam *Relaxationis* in eam ſententiam concedente, immunitatem impetrarunt ab omnibus vectigalibus, quæ à peregrinantibus exigi ſolebant apud Witſandum, Bononiam, Niewenum, & *Caletum*. [2] Quam quidem Caleti mentionem, omnium quæ exſtant antiquiſſimum eſſe exiſtimo; ſi eam excipias quam anno 1215. Matthæus Pariſienſis; aliamque ea vetuſtiorem, quam fecit Rogerus Hovdenus, circa annum 1180. Utut autem ſe res illa habeat, hoc unum certo ſcio, Camdenum, Cluverium, & Chiffletium aſſentiri *Hoſpitalio* (erudito illi Galliarum nuper Cancellario) affirmanti, Caletum non eſſe oppidum vetuſtum; ſed villam fuiſſe minuſculam, quales Galli

1 Vide Antiquitates Cant. p. 179. 2 Eruditſſimus tamen Comes *du Gange* in ſuo de *Portu Itio* Tractatu, innuit ſe alibi demonſtraſſe, *Caletum* eſſe multo vetuſtius.

Galli *Burgados* nominant, donec eam Philippus, Comes Bononienſis, non multos ante annos quam ab Anglis expugnaretur, muro circundediſſet. Neque quidem ullibi legi, quenquam ante ea tempora in Britanniam trajecturum, ibi navem conſcendiſſe. Quæ certe oſtendunt, Caletum, cujus ætati tantus annorum numerus deeſt, portum *Itium* eſſe non poſſe. Nec ſane portus ille (quantum de ſtatu ejus præterito futuroque ex præſenti poſſumus colligere) commodus admodum eſt; propterea quod eſt ſuffocationi vehementer obnoxius. *Satis conſtat* (inquit Cluverius) *ſuperioribus annis adeo incommodum fuiſſe hunc portum, uti manu arteque commodiorem efficere incolæ opus habuerint, mole producta è ſabulo tam fluido, quod venti pariter undæque in portum provehunt, uti nihil incolis certius videatur, quam paucis abhinc annis omnem obſtructum iri portum.*

Witſand non eſt portus Iccius.

Witſand (ſive, ut hodie ſcribitur ac vocatur, *Vitſan*) eſſe fateor antiquum, & quantum ad diſtantiam ſive vicinitatem ejus, nulli objectioni obnoxium.

xium. De illius antiquitate; aperte conſtat ex noſtris Annalibus, ante [1] annos amplius quingentos, portum fuiſſe uſitatum, à nobis ad Galliam, ſive inde ad nos tranſeuntibus. Diverſis enim in locis ab [2] *Edmero* aliiſque memoratur. Ad hæc, legimus, Ludovicum juniorem, Galliarum Regem, cum Thomam Cantuarienſem religioſa peregrinatione inviſeret, à ſancto illo demiſiſſime precatum, ne quiſquam inter *Vitſan* & *Dubrim* naufragio periret; *quaſi* (quod ab eo quem laudo [3] ſcriptore adnotatur) *hinc inde eo tempore fuerit commodiſſimus trajectus*, &c. De diſtantia vero; ſi vicinitatem ſpectes, ea omnibus præfertur: breviſſimus quippe trajectus è Gallia in Angliam, inter finitimum iſtud Promontorium *Blackneſs* appellatum, & Promontorium in Anglia, *Southforeland* aliter dictum, prope S. Margaretæ fanum juxta Dubrim, eſſe depre-

1 Illius mentionem ſub nomine etiam Portûs protraxit Cl. *du Freſne* ad An. Dom. 569. quod & ex indubitatis ſcriptoribus, confirmavit. 2 Hiſtoria Novorum Lib. 2. p. 41. & Lib. 3. p. 70. 3 Camdeni Britannia, in *Cantio*.

1 Clu-

deprehenditur. [1] Nec enim XXII. amplius millia paſſuum Anglicanorum ſeparantur. Eſſe igitur viciniſſimum fateor; atque inde quidem cauſa illius cadit: eſt enim vicinior quam ut commodus eſſe poſſit; [2] brevitas trajectus periculoſum reddit. *Navibus trajectus hinc inde nullus datur, importuoſo littore utrobique*, inquit Cluverius, ſuam de eo opinionem exponens. In quem etiam portum Chiffletius illud poetæ dictum aptiſſime tranſtulit,

Vixque manet portu tuta carina ſuo.

Ut autem eam ob cauſam eſt nimis vicinus, ita vicinior eſt, quam ut congruere poſſit cum numero milliarium, quæ ſpatio inter *Itium* ſuum Inſulamque noſtram Cæſar aſſignavit. Nec enim ea pauciora ſunt quam XXX. nonnulla etiam exemplaria, quæ & optima eſſe dicuntur, XL. legunt.

Quod

1 Cluver. German. Antiquit. Lib. 2. p. 128. 2 Hoc trajectûs diſcrimen ob oculos habuiſſe videtur Ludovicus, cum à S. Thoma flagitavit, *ne quiſquam inter Vitſan & Dubrim naufragio periret*, inquit Somnerus in ſui Autographi margine.

1 German.

xium. De illius antiquitate; aperte conſtat ex noſtris Annalibus, ante [1] annos amplius quingentos, portum fuiſſe uſitatum, à nobis ad Galliam, ſive inde ad nos tranſeuntibus. Diverſis enim in locis ab [2] *Edmero* aliiſque memoratur. Ad hæc, legimus, Ludovicum juniorem, Galliarum Regem, cum Thomam Cantuarienſem religioſa peregrinatione inviſeret, à ſancto illo demiſiſſime precatum, ne quiſquam inter *Vitſan* & *Dubrim* naufragio periret; *quaſi* (quod ab eo quem laudo [3] ſcriptore adnotatur) *hinc inde eo tempore fuerit commodiſſimus trajectus*, &c. De diſtantia vero; ſi vicinitatem ſpectes, ea omnibus præfertur: breviſſimus quippe trajectus è Gallia in Angliam, inter finitimum iſtud Promontorium *Blackneſs* appellatum, & Promontorium in Anglia, *Southforeland* aliter dictum, prope S. Margaretæ fanum juxta Dubrim, eſſe depre-

1 Illius mentionem ſub nomine etiam Portûs protraxit Cl. *du Freſne* ad An. Dom. 569. quod & ex indubitatis ſcriptoribus, confirmavit. 2 Hiſtoria Novorum Lib. 2. p. 41. & Lib. 3. p. 70. 3 Camdeni Britannia, in *Cantio*.

1 Clu-

deprehenditur. [1] Nec enim XXII. amplius millia paſſuum Anglicanorum ſeparantur. Eſſe igitur viciniſſimum fateor; atque inde quidem cauſa illius cadit: eſt enim vicinior quam ut commodus eſſe poſſit; [2] brevitas trajectus periculoſum reddit. *Navibus trajectus hinc inde nullus datur, importuoſo littore utrobique*, inquit Cluverius, ſuam de eo opinionem exponens. In quem etiam portum Chiffletius illud poetæ dictum aptiſſime tranſtulit,

Vixque manet portu tuta carina ſuo.

Ut autem eam ob cauſam eſt nimis vicinus, ita vicinior eſt, quam ut congruere poſſit cum numero milliarium, quæ ſpatio inter *Itium* ſuum Inſulamque noſtram Cæſar aſſignavit. Nec enim ea pauciora ſunt quam XXX. nonnulla etiam exemplaria, quæ & optima eſſe dicuntur, XL. legunt.

Quod

1 Cluver. German. Antiquit. Lib. 2. p. 128. 2 Hoc trajectûs diſcrimen ob oculos habuiſſe videtur Ludovicus, cum à S. Thoma flagitavit, *ne quiſquam inter Vitſan & Dubrim naufragio periret*, inquit Somnerus in ſui Autographi margine.

1 German.

Geſſoriacum eſt portus Itius.

Quod ſi horum nullus eſt *Portus Itius*, ſique *Bononia* ſola ſit reliqua, inde ſequetur portum eum eſſe *Bononiam*. Equidem ei omnes conditiones ſuperius poſitæ optime reſpondent. Eſt enim & antiquiſſimus, & quanquam non Britanniæ proximus, neque hodie fortaſſe omnium capaciſſimus; certe eorum qui ſunt paulo vetuſtiores, eſt & propinquiſſimus, & ampliſſimus, & commodiſſimus omnium qui in eo litore reperiuntur. Poſſent ad hæc confirmanda adjici & alia κειμήλια, *Via militaris*, *pharus*, & ejuſmodi; verum brevitatis cauſa, Lectorem uberioris diſquiſitionis cupidum ad opera exactiora eruditi illius, acuti, & laborioſi Cluverii rejiciendum exiſtimo; in quibus proculdubio illud inveniet, quo ſibi ſatisfiat.

Tandem igitur (quippe
Conveniunt cymbæ vela minora meæ,)

Marlianus, Meyerus, Viginerius, eorumque ſequaces, portum hunc *Caleti* ſtatuant; alii cum Ortelio & Camdeno, *Vitſandi*; claſſis tertia cum Merula,

la, *Porteti*; quarta, *Stapulis*, quinta ad fanum S. *Audomari*; quod ad me attinet, ego non diutius, quasi *ea opinionum varietate territus*, cum Ponto Heutero de *Portus Iccii* positione hæsitabo; sed cum Velsero, Cluverio, Bertioque, *Bononiæ* colloco. Hic ergo, plene firmiterque persuasus, me in ipsum *Portum Itium* à Cæsare memoratum perveniſſe, anchoras jaciam, navimque subducam; parum veritus asseverare, *Portum Bononienſem eſſe Julii Cæſaris Portum Itium.*

Exspectabunt fortasse nonnulli progressum paulo ulteriorem de Etymologia vocabuli *Iccium*: cum vero (quod de *Geſſoriaco* obſervavit Cluverius) vox est sive nomen peregrinum ac barbarum, illius tractationem spero me posse deditâ operâ, absque ulla Lectoris offensione, declinare. Quapropter, eam in hac re regulam sequar, quam video eundem Cluverium de vocabulis abstrusis generatim tradidisse: [1] *Ego sane* (inquit) *ignorare origines ejuſmodi vocabulorum multo*

1 German. Antiquitat. Lib. 2. p. 10.

1 Ei

multo malo, quam ridicule in eorum enodatione ineptire, ac turpiter errare. Aut etiam meipsum verbis Poetæ excusabo,

[1] *Non ego cuncta meis amplecti versibus opto.*

1 Virgil. 2. Georgic.

COROLLARIUM.

Portum Iccium esse Bononiæ, probatur ex Pictaviensi & Scriptore Vitæ Emmæ.

QUO appareat luculentius, Bononiam esse Cæsaris *Portum Iccium*, visum est mihi Corollarii loco amplum ejus rei testimonium adjicere; quod quidem aliquot post annos quam præcedens Dissertatio absolveretur, mihi occurrebat. Petitum id est è Gulielmi Pictaviensis libro, in quo scripsit vitam & res gestas Domini sui Conquestoris Normanici; conferendum autem cum loco illi παραλλήλῳ in scriptore vitæ Emmæ Reginæ, uxoris Regis Æthelredi, matris Edwardi & Alfredi. Horum scriptorum prior in initio statim suæ Histo-

Hiſtoriæ, De Alfredo hæc habet; *Non multo poſt deinde interſticio temporis, Doroberniam venit Aluredus, tranſvectus ex* portu Iccio, *accuratius quam frater antea adverſus vim præparatus.* Ex quibus verbis perſpicuum eſt, Aluredum in Angliam navigaturum apud *Portum Iccium* conſcendiſſe. [1] Hic autem *Bononiam* intelligi, pluſquam probabile efficiunt quæ de eadem materia ab altero illo ſcriptore relicta invenimus: *Statuto igitur die Alfridus minor natu, laudante fratre, elegit ſibi commilitones, & accipiens iter, Flandriæ venit in fines: quo paululum cum Marchione Baldwino moratus, & ab eo rogatus ut aliquam partem ſuæ militiæ ſecum duceret propter inſidias hoſtium; ſed tantum Bononienſium paucos aſſumſit, & aſcenſis puppibus mare tranfretavit.* Hæc duo loca comparata, ut ſe viciſſim illuſtrant, ita habita (inter alias circumſtantias) temporis quo ſcribebantur, ratione, quingentos ſcilicet abhinc annos, adeo proprio

1 Ei teſtimonio alterum quod expreſſum magis & diſertum eſt, oppoſuit Cl. *du Freſne*, qui obſervavit ex Gulielmo Gemeticenſi Aluredum e *Witſando* ſolviſſe, non autem *Bononiâ*.

proprio atque gravi argumento controversiam propositam patefaciunt; ut quæcunque mea olim fuerit de persuasione aliorum sententia, non diutius dubitavero, quin nunc æquo Lectori tam cumulate satis sit factum, ut meam opinionem amplectatur.

FINIS.

Cl. Viri
CAROLI du FRESNE
DISSERTATIO
DE
Portu Iccio,
Ex ejus Commentariis
in Vitam S. LUDOVICI
desumpta, & Latine versa.

CAROLI du FRESNE

DE

Portu Iccio

DISSERTATIO.

WISSAN est oppidum tenue Comitatus Bononiensis, in littore maris inter Bononiam Caletumque positum. Continet viginti quatuor circiter familias, præter tria aut quatuor alia, quæ ad illud pertinent, ædificia. Nihil habet sive portarum, sive fossarum, sive munimentorum: neqe ullæ veterum murorum quibus cingeretur antiquitus, reliquiæ supersunt. Capellam habet ad finem oppidi, qua Bononiam spectat, constitutam; verum Ecclesia Parochialis est in vico de *Sombres*, qui ab eo loco passus ducentos quasi aut trecentos abest. Inter eam Ecclesiam

oppidumque, [1] Caſtelli tumulus conſpicitur, qui, figura ovali, quadraginta plus minus perticas in longitudinem porrigitur. In oppido, cernuntur veſtigia quædam ædificii veteris, in quo (ut ferunt) reponi ſolitæ ſunt lanæ, quæ ex Anglia tranſportabantur: Aliorum etiam indicia videntur; quæ manifeſtum faciunt, oppidum iſtud amplius olim fuiſſe. Quid quod [2] Froiſſartus *magni oppidi* nomine appellavit; noſtræque Hiſtoriæ ſatis luculente oſtendunt, locum fuiſſe portu inſignem; utpote ex quo fere ſolverunt in Angliam trajecturi, (id quod in ſequentibus me demonſtraturum ſpero,) etſi nulla hodie illius indicia videamus. Liber Cenſualis Bononiæ ſub *oppidi* nomine meminit, & nunc etiam *Prætorem Conſules*que jactat, ad quos rerum civilis adminiſtratio, cognitioque criminum ſive in ipſo oppido ſive etiam in vicinia admiſſorum, pertinet: iidem *Xenodochio* quoque præficiuntur. Comes Bononienſis, ad cujus ditionem ſpectavit,

1 *Mote du Châtel*, apud du Freſne. 2 Vol. 1. c. 132.

1 In

ctavit, ibi Prætorem conſtituit: poſtquam autem ille Comitatus in *Coronæ* poteſtatem devenit, in eo inſtitutus eſt *Balifatus Regalis*; quo munere fungitur Prætor Bononienſis, & eo ſingulis ſeptimanis ad jus dicendum proficiſcitur. Oppidum perfluit rivus tenuior, qui fontes ſuos aperit prope Eccleſiam Sombrenſem.

Camdenus primum Witſandi Iccium collocavit.

[1] Gulielmus Camdenus in ſua deſcriptione Angliæ, primus omnium affirmavit, locum hunc *Itium* eſſe *portum* cujus meminit Cæſar. Poſtquam enim eorum opinionem refutavit, qui Caleti ſtatuendum opinantur, hæc adjicit: *Itium igitur alibi quærendum exiſtimo, ad* Witſan *ſcilicet inferius prope Blackneſt, quod nos* Withſan *vocamus, verbo ab Itio non abludente. Huc enim omnes ex hac Inſula tranſmiſiſſe, ex hiſtoriis noſtris obſervamus.* Illam autem conjecturam eſſe omnium quotquot ſcriptores prodiderunt veriſimillimam, tam firmis rationibus diſtinctaque auctoritate demonſtrare conabor, ut nullus in poſterum locus dubitationi

1 In *Cantio.*

1 L. 5.

bitationi ſuperſit. Antea vero quam ipſam probationem aggrediamur, fundamenti vice neceſſarium erit ea quæ de hoc Portu à Cæſare relinquuntur, paucis perſtringere; deinde varias Auctorum opiniones de hujus ſitu enumerare, & ſtabilita Camdeni meaque ſententia, alias breviter oppugnare: neque enim me longa diſputatione implicare conſtitui, in hac re præſertim, quæ tot viros eruditos exercuit.

Portus à Cæſare memorati in littore Gallico.

[1] Inter Portus, trajectui è Gallia in Magnam Britanniam commodiſſimos maximeque ordinarios, tres à Cæſare recenſentur; quos ille in Morinis conſtituit. Unius vero tantum nomen prodidit; ejus nimirum quem ad legiones tranſportandas elegit, propterea quod eo in loco maria maxime eſſent anguſta, adeoque trajectus ex Gallia in Angliam breviſſimus: *Omnes ad Portum* Itium *convenire jubet, ex quo Portu in Britanniam trajectum commodiſſimum eſſe cognoverat, circiter millium paſſuum triginta à continenti.* Et Libro quidem præcedente, portum eum verbis

1 L. 5. de Bello Gallico.

1 Lib.

bis disertis in partibus Morinorum collocavit: *Ipse cum omnibus copiis in Morinos proficiscitur, quod inde erat brevissimus in Britanniam trajectus.* Adeo ut in loco quo situs est *Itius Portus*, transitus in Angliam brevissimus fuerit. Præter hunc portum, duorum etiam aliorum in iisdem partibus meminit, *inferioris* alterius, alterius *superioris*. [1] Strabo de Portu Itio his quidem verbis loquitur; ὑπὲρ τῆς Μορινοῖς ἐστὶ τὸ Ἰτιον, ᾧ ἐχρήσατο ναυστάθμῳ Καῖσαρ ὁ θεὸς, διαίρων εἰς νῆσον. Omnes scriptores, quotquot sive Cæsarem observationibus, sive Galliam sua Geographia illustrarunt, sese in hujus loci situ investigando multum exercuerunt: ex quo scilicet duorum aliorum qui in ejus vicinia collocantur, cognitio dependet. Eorum autem opiniones ita variæ esse deprehenduntur, ut judices etiam æquissimi multum dubitarint quam illarum præ cæteris amplecterentur. Neque ego illos refutatione dignabor, qui *Sluysæ*, *Brugis*, aut *Porteti* esse contenderunt; propterea

Opiniones de Portu Iccio.

1 Lib. 6.

1 Adverſ.

rea quod eæ opiniones parum admodum probabiles videntur. Illa vero quam ſuis Adverſariis Poematibuſque inſeruit [1] Turnebus, quam etiam comprobavit [2] Ortelius, quam denique nuper ſtabilivit, & ſua auctoritate confirmavit, explicuitque [3] P. Malbrancq, paucos admodum patronos reperiet, ſi modo altius expendatur. Ii homines eruditi S. *Audomari* oppidum *Portum Itium* fuiſſe exiſtimarunt, partim perſuaſi nomine ejus *Sithiu*, (quo illud Hiſtoriæ ac monumenta ante monaſterium ibi Sancto dicatum, appellarunt;) partim etiam quod in locis finitimis anchoræ, mali, naviumque fragmenta in terrâ recondita, reperiri dicuntur: id quod etiam confirmant à loci ſitu, qui æſtuarii ſpeciem repræſentat; adeo ut iis veriſimile videatur, totum eum tractum mari olim obrutum fuiſſe, illudque ibi ſinum capacem efformaſſe. Unde con-

1 Adverſ. l. 8. c. 21. in Poem. 2 Ortel. in Theſ. Geograph. 3 Lib. 1. & Chifflet. Cap. VII. Sed Ortelius, quantum ex Tabulis ſuis exiſtimare licet, ei opinioni poſtea renunciavit, & *Itium* ad Witſandum tranſtulit. Hanc opinionem de Audomaropoli fuſius refutavit Cl. Somnerus in ſua iſſertatione de Portu *Iccio*. Sect. 7. 1 Turneb.

concludunt, nomen *Sithiu* ei inditum quasi *Sinus Itius*; portu, sive potius portus vestibulo versus *Sangate* directo. His addunt, Gessoriacum esse idem quod *Soriete*; illud autem hac ex parte non longe ab Audomaro ponitur.

[1] *Terreus hic olim campus dum præpete cursu*
Iccius adversæ transmittit carbasa terræ
Portus, & ad reduces exporrigit ora faselos:
Dumque sinu Gessoriacum penetrare reducto
Longius, immissum penitus salis alluit æquor:
Nunc cava cæruleo quâ gurgite sæpe tenebat
Pinus iter, sulcos infindit durus arator,
Exercetque solum; glaucis regnataque Divis
Possidet arva Ceres, campi quâque ante natabant,
Turritâ Audomarum muri cinxere coronâ.

Opus

1 Turneb. Adversar.

1 German.

Opus vero tantummodo eſt ut oculos conjiciamus in Tabulam eam quam P. Mailbrancq delineavit; unde ſtatim perſpiciemus ejus conjecturæ improbabilitatem; quæ alias etiam à [1] Cluverio refutatur. Marlianus, Meyerus, Præſes de *Thou*, Vigenerius, Bertius, alii, in ea fuerunt ſententia, *Caletum* eſſe *Portum Itium*: ſimul propter ejus commoditatem, ſimul etiam quod hodie in Angliam navigaturi, ibi frequentiſſime conſcendunt. Ratio autem propter quam ea opinio Camdeno diſplicet, hæc eſt; quoniam *Caleti* mentionem nuſquam invenimus ante tempora Philippi Gallici Comitis Bononienſis, qui primus illud munire incœpit. Res tamen certiſſima eſt, (id quod alibi etiam à me demonſtratur) portum ante illa tempora celebrem fuiſſe. Chiffletius inauditam conjecturam protulit (eruditione magis quam argumentis ſtabilitam,) aſſeruitque *Mardicum* prope Dunkerkam eſſe *Portum Iccium*: [2] quaſi locus ille nomen ſuum non deduceret ex duobus voca-

1 Germ. Antiq. l. 2. Cap. 28. 2 Bert. de Aggeribus, c. 13.

vocabulis Teutonicis, ſeu Belgicis *Mar diik*, h. e. agger maris. [1] Maris enim illis in locis vehementes inundationes, ripas firmiſſimas incolis neceſſarias fecerunt; quæ etiam in oris finitimis fere conſpiciuntur.

Communiori autem conjecturâ de ſitu hujuſce portus, (quam etiam admiſerunt Cluverius, Joſephus Scaliger, Nicolaus Berger, P. Boucheer, M. Sanſon, aliique complures) eſſe Bononiæ ſtatuitur. Rationes ſcriptorum præcipuæ è [2] Plinio petuntur, [3] Suetonio etiam, [4] Floro, [5] Mela, Olympiodoro, reliquiſque quotquot in toto tractu Morinorum non alium aliquem Portum, tranſitu ſaltem è Gallia in Britanniam paulo celebriorem, præter *Geſſoriacum* agnoſcunt: hoc autem Tabulæ Peutingerianæ eſſe oppidum *Bononiam* diſerte aſſerunt. Secundo, argumentum ſumunt à viis militaribus ſive Romanis, ad illud oppidum finitis terminatiſque; ultra quod, [1] qui

1 De harum inundationum ratione cauſiſque, vide quæ ſub finem Sectionis VII. de Portu *Iccio*, dixit Cl. Somnerus. 2 Plin. Lib. 4. c. 16. 3 Sueton. in Claud. 4 Flor. l. 1. c. 11. 5 Mela. l. 3. c. 2.

1 Anto-

[1] qui eas curiosius delinearunt, non alium invenere locum, unde trajectus è Gallia in Angliam ordinarius esset. M. Sanson argumentis superius traditis & aliud addidit, à vento qui Cæsarem transvexit, quóque naves impeditæ sunt quo minus ad terram pervenire possent, desumptum. Quam autem fundamento debili ea innitatur opinio, quam etiam facile destruatur, attende. Etsi enim ultro agnoscerem us, Gessoriacum adeoque Bononiam, portum fuisse præcipuum maximeque celebrem in toto Morinorum littore, non tamen inde sequetur nullum extitisse alium è quo in magnam Britanniam solverunt. Imo Cæsar, quo in loco Itii meminit, aperte contrarium indicavit, cum ibi [2] *superioris* alterius, alterius *inferioris* mentionem fecerit: inde enim concluditur, tres ad minimum fuisse. Cum autem de iis portubus loquitur tanquam littori Anglicano maxime vicinis; necessario

1 Antoninus. Tabulæ Peuting. 2 Portus *superiorem* & *inferiorem*, quorum meminit Cæsar, existimat Cluverius fuisse solum æstuaria sive navium stationes quasdam.

1 Portus

rio intelligendus est de illis, qui regni istius Promontorio directe opponuntur (hoc vero Geographi Cantium, Angli the Nesse appellant) [1] & littori quod *Rhutupina littora* Poetæ nominarunt, in vicinia de *Richburrow*, quod in Comitatu Cantiano constituitur. Reliquum igitur est, ut trium Portuum Cæsarianorum positiones à Caleto usque ad Bononiam quæramus: spatium enim illud unicum est, quo mare maxime coarctatur, quóque littora utriusque regni arctissime conjunguntur. Cum vero è tribus istis in littore Morinorum positis *Portus Itius* medium locum obtinuit, non alibi quam *Witsandi* collocari posse videtur: tum quod trajectus maris ibi proculdubio est brevissimus, tum vero quod ex duobus Portubus ab utraque Itii parte, verisimile est alterum esse *Bononiam*; alterum, *Caletum*. Quanquam

1 Portus Rhutupinus Cæsaris temporibus non videtur multum floruisse; nam ad Dubrim omnes e Gallia naves appulsas fuisse, affirmare videtur Cæsar his verbis; *Insula natura triquetra; cujus unum latus est contra Galliam. Hujus lateris alter angulus, qui est ad Cantium, quo fere omnes è Gallia naves appelluntur*, &c.

1 Berger.

quam enim ab ipſis Cæſaris temporibus, *Geſſoriacum* portus fuerit duobus reliquis & amplior & inſignior; inde vix ſequetur, Cæſarem (eo relicto) non potuiſſe, aut etiam debuiſſe, ad alterum, ubi breviſſimus eſſet trajectus, proficiſci; quò tum celerius, tum minori cum diſcrimine, omnes ſuas copias in magnam Britanniam tranſportaret. Hoc illud ipſum eſt (ut in ſequentibus patebit) quod Gallis noſtris in uſu fuit, ut poſthabito portu Bononienſi, quoties in Angliam navigaturi eſſent, apud *Wiſſan* conſcenderent. Quod etiam de Caleto dicendum eſt, etſi tranſitus ex eo loco ſit longe brevior quàm verſus Bononiam.

Secunda ratio, quam ad *Itium portum* Bononiæ ſtabiliendum afferunt, à viis Romanorum deſumitur, neque firmiori fundamento adſtruitur. Lubens equidem confiteor, vias militares ab Antonino, Tabuliſque Peutingerianis repræſentatas, ultra Bononiam non extendi, ſed ibi plane terminari. Neque tamen inde colligere poſſumus, non alium fuiſſe in Morinorum

norum partibus locum, qui *Itii* nomine appellaretur. Veriſſimum quidem eſt, vias hujuſmodi ad commoditatem itinerum & hoſpitii exercitus Romanorum fuiſſe conſtructas. (Quod cum eruditus Bergerus ita luculente demonſtravit, ſupervacaneum erit illius veritatem aliorum auctoritate confirmare.) Vere etiam dici poteſt, rem eſſe parum probabilem, Cæſarem, inſtituta in Morinos, unde in Britanniam trajiceret, expeditione, ſuos per aliam ſemitam, quam quæ fuit exercitibus ordinaria, deducturum. Interea tamen certiſſimum eſt, quo tempore Cæſar in Angliam trajecit, nullas Romanorum vias fuiſſe in Gallia conſtructas; Belgicâ præſertim, quæ modo jam ſubjugabatur. [1] Ad hæc, ſemitas eas (quas vulgus *Strata de Brunehaut*, ſive *vias ſtratas* appellant) nemo ante Auguſtum, ſucceſſorem Cæſaris, ejuſque generum Agrippam, in Belgica ſive etiam in reliqua Galliarum parte moliebatur. Sed neque verum eſt, vias Romanorum Bononiæ finiiſſe,

Viæ tempore Cæſaris nullæ in Belgio conſtructæ.

1 Berger. l. 1. c. 28, 29.

1 Malbranc.

isse, cum à Bononia ad *Wissandum* deducebantur; quæ ad hoc etiam tempus integræ remanent, vulgo *Viæ stratæ sive strata de Brunehaut* vocitatæ. Id quod à [1] P. *Malbrancq* confirmatur, ut in Tabula sua Morinorum, ita etiam ubi vias Romanorum in illis partibus inventas describit. Ex quibus quidem colligi potest, quòd si Itinerarii auctores vias ultra Bononiæ oppidum non deduxerunt, hoc ab iis idcirco factum, quoniam portum eum capacissimum, locumque hospitiis accommodatissimum existimarint: hoc enim est in quod Romani præcipue incubuere; eo certe tempore non tam folliciti de Viarum *compendiis*, quam de commoditate hospitii copiarum; quod Bergerus abunde probavit. Quantum ad argumentum istud à *Ventis* deductum; cum directum illud littus iisdem omnino exponitur, nihil mea opinione inde magnopere concludi potest; etsi [2] P. *Malbrancq* ad illos recurrit, ut suam opinionem de istius

1 Malbranc. Tom. p. 594. 2 Lib. 1. c. 9.

1. Eruditis-

istius portus positione confirmat, quem versus *Sangate* constituit.

Quod autem, meo judicio, plurimum confert ad demonstrandum, *Bononiæ* non esse Portum Itium, hoc est, quia parum verisimile videtur, oppidum istud tria simul nomina obtinuisse: certum enim est & *Gesforiacum* & *Bononiam* fuisse nominatum. [1] Scio equidem, nec est improbabile, primum illud esse *Pagi* nomen sive regionis in qua constituebatur: parum tamen verebor universim asseverare, raro admodum in reliquiis antiquæ Geographiæ reperiri, eundem locum duo simul nomina obtinuisse; præter illud populi sive regionis, quod ei decursu temporis adcrevit. Quod ut exemplis pateat, *Paris* (appellata etiam *Lutetia*) Parisiorum; *Amiens* (vocata *Samarobriga* seu *Samarobriva*) Ambianorum, nomen retinet. Idem de aliis dicendum, quæ sunt nomina populorum, regionumque, in quibus posita

Bononia non potuit tria simul nomina habere.

G ejusmodi

1 Eruditissimus Cluverius (German. Antiquitat. de Portu. *Iccio*) contra Scaligerum probavit, *Gesforiacum* nomen oppidi fuisse.

1. Com

ejuſmodi oppida fuerunt. Dici nihilo minus poteſt; oppidum Bononiæ, ut *Geſſoriacum* à populi vicini nomine, ita *Itium* & *Bononiam* peculiari ratione, fuiſſe appellatum; quod tamen parum probabilitatis oſtentat. Quæ autem [1] Velſerus ad hanc objectionem diluendam protulit, mihi nequaquam ſatisfaciunt.

Witſand eſſe Portum Itium probatur.

Refutata jam opinione maxime recepta de Portus *Itii* poſitione; reliquum eſt ut noſtram, ſive potius quidem Camdenianam, ſtabiliamus: is enim primus eam excitavit, quæ tamen leviter admodum ab illo confirmatur. Ad inveſtiganda igitur loca quorum antiqui meminerunt, quorumque nomina ſive diuturnitate extinguuntur, ſive etiam ita multum immutantur, ut nulla fere veſtigia minimum luminis ſuppeditent; ad tria præcipue argumenta recurri ſolet. Horum primum eſt *ſitus*; ſecundum, *diſtantiæ ab aliis locis finitimis, Itinerario ac Geographis memoratis*; tertium, *ſimilitudo veterum nominum, novorumque ac*

1 Comment. ad Tab. Pentingerian.

1 Pontus

ac eorum quibus hucuſque utimur. Hæc tria indicia nobis quaſi Lydos lapides, aut ſaltem fundamenta, ſumus facturi, quo felicius *Portum Itium* exquirere ac invenire poſſimus; in cujus quidem inveſtigatione tot Auctores ita vehementer deſudarunt, ut unus inter reliquos hæc ſcripta reliquerit: [1] *Fateor à veteribus autoribus perſpicue clareque doceri non poſſe, quo olim loco* Itius *aut* Iccius *fuerit portus: bene quidem quod ſub imperio ac ditione Morinorum, & inde breviſſimum in Britanniam trajectum fuiſſe.* Quanquam autem tam graves ſcriptores in hujus indagatione erraverint; mihi etiam hanc veniam indulgebo, abſque pertinaci tamen fiducia exitum illis feliciorem inveniendi. Libere interim meas conjecturas eorum judiciis permitto, qui ſibi literaturæ ac eruditionis nomen aſſumpſerint.

Ut igitur à ſitu ordiamur; Cæſar diſertis verbis certiores fecit, *Portum Itium* in loco quodam conſtitiſſe, ubi trajectus Oceani in Angliam eſſet *Indicia Portus Itii.*

G 2 com-

1 Pontus Heuterus l. 2. de Vet. Belg. c. 18.

1 Com-

commodissimus: *Ex quo portu commodissimum in Britanniam trajectum esse cognoverat.* Quod autem ait fuisse *commodissimum*, intelligendus est quasi *brevissimum* dixisset; quod & alio in loco non obscure indicavit: *Ipse cum omnibus copiis in Morinos proficiscitur, quod inde erat brevissimus in Britanniam trajectus.* Unde quidem colligitur, Cæsarem eo tempore non tam portus magnitudinem attendisse, quam commoditatem ad trajectum, transitumque brevissimum. Nautarum vero indicia indubitatum faciunt, trajectum maris à *Wisan* in Angliam, directiorem esse & breviorem, unâ quidem leugâ, sive etiam unâ ac dimidiâ quam à Caleto; quam à Bononia vero, duabus leugis, iisque amplioribus. Trajectus à *Portu Itio* secundum Cæsarem, spatium habuit millium passuum triginta: *Circiter millium passuum triginta à continenti.* Geographus Arabicus tantum viginti quinq; agnoscit. Strabo trecenta & viginti stadia ponit, quæ mille passuum quadraginta conficiunt. Verum cum distantiæ ex eo pendent loco, in quem Cæsar in Anglia

glia appulit (eum autem vulgo apud *Richburrow* aut *Sandwicum* ſtatuunt,) ex iis difficulter admodum fundamentum firmius elicitur. Neque etiam facilius eſt, de ſitu argumenta à Promontorio haurire, quod Ptolemæo Ἰκιον ſive Icium vocatur; quoniam quæ de eo reliquit, ſunt admodum incerta; etſi quidem illud poſitum in longitudine 22 Grad. quindecim minutorum, (Geſſoriaco quoque in 22 Grad. 45. minut. conſtituto,) cum poſitione Promontorii & Capæ de *Blacnez*, *Wiſſano* maxime propinqui, convenit. Hoc vero à *Wiſſan* non ultra leugæ dimidium, ſed à Bononia trium ſpatio abeſt. In mare dimidium leugæ grandioris porrigitur, & eſt terræ apex Magnæ Britanniæ multo maxime vicinus.

Wiſſan eſſe Portum Itium, ex nomine concluditur.

Nomen autem *Wiſſani* conjecturæ de Portu *Itio* ſive *Iccio* non minus favet. Codices enim MSS. Cæſaris diverſimode vocabulum repræſentant. Nonnùlli cum ſimplici (c) ſcribunt, *Icius*; duplici alii, *Iccius*; alii demum per (t) ſimplex, *Itius*. Lectionem primam probaſſe videtur Ptolemæus,

qui Promontorium Portui vicinum Ἰκιον ἄκρον appellat. Secunda auctoritatem recipit tum à nomine Præfectus Rhemorum, à [1] Cæſare memorati, quem *Iccium* ſimiliter vocavit; tum etiam ab ea appellatione populi magnæ Britanniæ, quos *Wiccios* Geographi nominarunt. Tertiam demum amplexus eſt [2] Strabo, qui eum Portum, Ἰπιον nuncupat. Ad veram igitur ἐτυμολογίαν & originem hujus appellationis inveniendam, animadvertendum eſt, quo demum nomine in Gallorum lingua vocaretur, cum jam Cæſar illam latinitate nondum donaſſet. Probabile quidem eſt, Cæſarem primam vocabuli ſyllabam (*wi*) expreſſiſſe per (*i*) ſimplicem, locumque ipſum *Wic* vel *Wics*, ſive etiam *Wis* & *Wits* fuiſſe appellatum; ea ſiquidem erat pronunciatio Linguæ Gallicæ familiaris & ordinaria, & hucuſque inter Alemannos Belgaſque conſervatur, qui inde ſuam originem derivant. Nec enim Cæſar ſyllabam (*wi*) Latine aliter potuit exprimere quam per (*i*) ſimplex,

1 Comment. de Bell. Gall. l. 2. c. 3. 2 Lib. 6.

1 Culver.

ſimplex, propterea quod duplicis *v* pronunciatio, gutturis eſt magis quam Linguæ, & ſonum plane *ſ ou* reddit; id quod Lingua Latina non ſatis commode enunciare poteſt. Iis præmiſſis, videamus proxime quam probabiliter terminationem vocabulum illud in Idiomate Gallico habuerit. Si in ea lingua locus appellatus fuerit (*Wic*,) non debuiſſet Cæſar in *Icius* ſive *Iccius*, ſed in *Icus* convertere; [1] quod quidem in nomine *Litavici*, alterius è Galliarum præfectis, ab eo factum conſpicimus. Eum ſæpius memorat: cujus nomen veriſimile eſt *Litawic* ſive *Luitwic* in lingua Gallorum fuiſſe; unde non dubitandum eſt quin nomen illud *Hludowic* profluxerit, quod crebro occurrit in hiſtoria ſecundæ Regum noſtrorum Genealogiæ. Unde Ludovicus *le Debonaire* in eo verſu per Buſæum conſcripto, ita nominatur:

Hludwic *juſtus erat, quo Rex non juſtior alter.*

Quod

1 Cluver. in German. l. 1. c. 6. Pont. Heut. de Vet. Belg. p. 225. Joſ. Scaliger, Ep. 228. Buſæus in Not. ad Ep. 1. Hincm.

1 Kilian.

Quod etiam cernendum est in illius quæ supersunt Numismatibus, quibus ejus nomen constanter *Hludowicus* scribitur. Heuterus ita vocabulum *Luitwich* interpretatus est, quasi idem plane significaret quod *Hludwic*, via popularis: [1] Kilianus, *populi refugium*, propterea quod vox ea *wic*, in Lingua Saxonica & Alemannica veteri, nunc quidem *munimentum*, nunc vero *domum*, aliquando etiam *sinum* seu *portum* indicat. Quod ad pronunciationem *& Wics* attinet, non memini equidem me eam unquam animadvertisse in veteribus Alemannorum nominibus, quæ ex nostris Historiis petuntur; sed sæpius *Wits*, *Wiss*, & *Wite*, quæ auctore [2] Pontano in Originibus Francicis, & [3] Somnero quoque, *prudentem* sive *prudentiam* significant. Quod si ille de quo loquimur Portus, apud Gallos *Wics*, *Wits*, sive *Wiss* nominabatur, nullo modo potuit Cæsar nisi per *Icius* vel *Itius* exprimere: nec enim vocabuli Gallici ultima litera *s*, commode nisi per eam terminationem,

1 Kilian. in Etymolog. 2 Orig. Franc. l. 6. 3 Gloss. Sax.

nem, enunciari potuit. Difficile admodum esse fateor quicquam certi ex eis Etymologiis concludere. Certe ego isti assentiri non possum, quam [1] nonnulli *Itio* portui tribuerunt, eum deducentes ab *Itando*, quod ibi fere, in Angliam *ituri*, navem conscenderent. Neque etiam [2] Heutero, qui Portum *Iccium* quasi *Ic-cie*, h. e. video, scilicet Insulam Britanniam, dictum contendit. Hujusmodi enim omnia minimam veri speciem præ se ferunt. Interea vero magnam affinitatem inter *Its* sive *Itius*, & *Witsan* deprehendimus; præsertim cum certissimum est, terminationem eam (*an*) communem esse pluribus Bononiensium nominibus, tam locorum quam familiarum. Observabimus nihilominus in sequentibus, quod Auctores ei suas Etymologias accommodare tentarunt.

Ego interim arbitror, firmissimum argumentum, unde Portum *Itium* apud Wisan esse concludamus, inde deduci, quòd ex auctoritate plurium Auctorum gravissimorum apertum est, *Antiquitas portus Witsandi.*

1 Paulus Æmil. 2 Cap. 10. p. 48.

1 Vita

est, locum sive portum de *Wissan*, eum singulis ætatibus fuisse, unde è Gallia sive Francia in Angliam solverunt, & in quem ex Anglia in Galliam navigantes appulerunt. Sermo quem de ea materia, Parisiis habui apud D. de *Heroual*, (*Computorum Auditorem*, qui mihi suam amicitiam dignatus est) cum D. Sanson, homine harum rerum cognitione celeberrimo, quique omnium maxime Geographiæ arcana reseravit; mihi promissa persolvendi necessitatem imposuit. Tunc enim ei pollicitus sum, me ex antiquis & idoneis auctoribus sexaginta plus locos prolaturum, qui eam propositionem confirmarent. Quam quidem ut aggrediar probationem, temporis & seculorum ordinem servabo, quibus singula scribebantur.

[1] Reperio igitur S. Wlganum, S. Columbani socium, circa An. 566. ex Anglia in Galliam trajicientem, *appulisse ad portum* Witsan *appellatum, qui videlicet locus ex* albentis sabuli *interpretatione*,

1 Vita S. Vulgani, in Historia Abbatiæ de S. Ouen p. 457. Malbr. l. 2. c. 54.

1 Lam-

pretatione, tale ſortitur vocabulum. Verba ſunt ejus Auctoris qui illius Vitam ſcripſit; & quantum ad vocis etymologiam, cum iis conveniunt quæ de eadem materia reliquit [1] Lambertus d' Ardres: *Britannicum ſecus portum, qui ab albedine arenæ vulgari nomine appellatur* Witſand: Vocabulo ex *White*, quod idiomate Anglicano Belgicoque *album* ſignificat, & *ſand*, quod ſabulum, compoſito. Et quidem quanquam Etymologiis non multum tribuo, adnotandum tamen exiſtimavi, [2] Philippum de Breton, quo in loco de Bloetenſibus loquitur (ii litora maris circa *Furnes* incolunt,) ſatis perſpicue obſervaſſe, ſabulum iſtius littoris ad *album* vergere:

Inde movens iterum claſſis legit æquoris undas
Quod Bloetinorum candentia *littora lambit,*
Quaque mareſcoſos extendit Flandria campos.

Idem de *Wiſan* his quidem verbis confirmavit

1 Lambert. Ardr. p. 3. 2 Lib. 9. Philipp. p. 206.

1 Lib.

firmavit [1] Malbrancqus. *Ipſum montem arenoſum, qui mare ab ipſo pelago in altum exſurgit, non dixeris arenis, ſed è cretaceis molibus compactum: tantus enim eſt candor, tantamque in duritiem abiit, ut ſolidiore illic non opus ſit muro.* [2] Merula etiam dicit, quod in iis locis, *arena eſt ejus generis, quam urentem vocant.* [3] Palladius & [4] Vitruvius de eadem *albi ſabuli* ſpecie loquuntur.

[5] Edowinus à Rege Athelſtano fratre ſuo in exilium miſſus, anno 933. ex Anglia in Galliam tranſiit, & ad *Wiſſan* appulit: *Anguſto ſcilicet à Doveria in Withſand mari.*

Sub idem tempus, locus ille à Normannis deſtructus, reſtitutus eſt à Rege Ludovico *Tranſmaritano.* Ad hunc etiam portum referri debere videntur verba illa [6] Flodoardi, An. 938. *Ludouicus Rex maritima loca petens, caſtrum quoddam portumque ſupra mare, quem dicunt* Guiſum, *reſtaurare niſus eſt.* Nec enim ea deſcriptio alteri

1 Lib. 2. c. 54. 2 Lib. 3. p. 469. 3 Lib. 1. c. 10. 4 Lib 2. c. 4. 5 Monaſt. Anglican. To. 1. p. 194, 195. Will. Malmesb. l. 2. Hiſt. Angl. c. 6. p. 53. Matt. Weſtmonaſt. An. 934. 6 Flodoard. in Chr.

1 Brom-

teri cuivis portui reſpondebit. Ad hæc, nomen ei ab hoc ſcriptore tributum, cum altero iſto *Guizant* affinitatem habet, quomodo Hariuſlus *Wiſan* appellavit: certum etiam eſt, nos Gallos Alemannorum (*W*) per (*Gu*) efferre; id quod videre eſt in vocibus *werre*, *wage*, aliiſque, quas nos *guerre*, *gage*, &c. pronunciamus.

[1] Rex Ethelredus, cum è ſuo regno per Swanum Regem Danorum pelleretur, conſcendit an. 1013. apud *Witſan*, ad Ricardum Normanniæ Ducem profecturus.

[2] Gulielmus Gemeticenſis aſſerit, Aluredum S. Edouardi Regis Angliæ fratrem, è Gallia in Angliam rediturum, *portum* Wiſanti *petiiſſe*, *& hac tranſfretantem Doroberniam veniſſe.*

[3] Gulielmus Pictavienſis, Archidiaconus de *Lizieux*, de reditu Aluredi loquens, diſertis verbis *Icii* nomen Portui iſti attribuit: *Doroberniam venit Alueradus tranſvectus ex Portu* Icio. Locus plane ſingularis ad ſitum *Itii* portûs illuſtrandum.

[1] Euſtatius,

1 Brompton, p. 892. 2 Lib. 7. c. 9. Walſingham, p. 434.
3 Geſt. Guil. Reg. Angl. p. 178. 1 Will.

[1] Eustatius, Comes Bononiensis, invisendi ejusdem Edwardi causa, in Angliam trajecit, *transfretato mari de* Whitsand *in Dovoriam.*

[2] Gerouinus Abbas de S. *Requier*, sub An. Dom. 1069. postquam terras visere constituisset, quotquot in Anglia ad suum Monasterium pertinerent, *Ad maris ingressum properavit, quem nominant plebeiales* Guizant.

[3] Gulielmus Malmesburiensis adnotavit, Stephanum Comitem de *Mortain* & Bononia, Henrici Regis nepotem, *in Angliam per* Witsand *maturasse adventum.*

[4] S. Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis, è regno ab eodem Rege ejectus, *Withsandum appulit.*

[5] Gulielmus Rufus, cum patrem in Normannia pene mortuum reliquisset, juxta illius præceptum in Angliam ad regnum illud occupandum transiit; *Qui mox ad portum*, qui Witsand *dicitur, pervenit, ubique jam patrem audivit obiisse.*

[1] Henri-

1 Will. Malmesb. Gest. Angl. p. 81. 2 Hariulf. l. 4. c. 22. 3 Lib. 1. Hist. Novellæ p. 178. 4 Gulielm. Malmsb. de gestis Pontif. p. 222. Eadmer. l. 2. vitæ S. Anselmi. c. 29. 5 Ord. Vit. l. 7. p. 659. Fra. de Gul. Conq. p. 32. 1 Lib.

[1] Henricus Huntingdonienſis refert, Gulielmum Rufum è Normannia redeuntem, conſcendiſſe *apud* Withſand, *unde appulit Doroberniam.*

[2] An. 1110. cum filiam ſuam Henrico Imperatori in uxorem dediſſet, *miſit eam à Dovere uſque ad* Witſand.

Eccleſiæ itidem de *Laon* Canonici, An. 1113. inde ſolverunt in Angliam cum ſcrinio de N. D. aliiſque iſtius Eccleſiæ reliquiis, ad colligendos nummos quibus reficeretur, cum igni incenſa fuiſſet; poſt martyrium Epiſcopi Gualdrici: [3] *Apud portum, qui vocatur* Wiſſant, *à nautis convocati, navem intravimus.*

[4] Henricus Rex Anglorum in eum è Dubri appulit An. 1155. *apud Douram mare intravit, & appulit* Wiſant.

[5] Geographus Arabicus, qui circa idem tempus vixit, illius mentionem fecit, tanquam portus ordinarii unde in Angliam ſolveretur, his quidem verbis: *Ab illa etiam* (Rotomago) *ad urbem*

1 Lib. 7. p. 373. Brompt. p. 991. 2 Sim. Dun de Geſt. Angl. 3 Herm. l. 2. de mir. S. Mariæ Laud c. 4. 4 Rob. de Mont. Rad. de Diceto. 5 Alderiſ. 2. part. Clim. 6. p. 253.

urbem Vadiſant, *exiguam valde, mari adjacentem,* LXXX. *M.P. & ex hac urbe conſcenduntur naves adeuntes Inſulam Angliam, quam dividit à Continente fretum habens in longitudine* XXV. *M.P.* Unde manifeſtum eſt, quam ob cauſam [1] Lambertus d' Ardres, qui eodem ſeculo vixit, in loco modò memorato, eum *Portum Britannicum* appellavit.

[2] S. Thomas Archiepiſcopus Cantuarienſis, ſe ex Anglia ſubducens, ad *Wiſſan* venit; cumque ab exilio rediit, inde in Angliam ſolvit.

[3] Robertus etiam Comes Leiceſtriæ, ibi anno 1173. conſcendit.

[4] Henricus II. Angliæ Rex, anno ſequenti inde ſuas copias in Angliam tranſmiſit; & anno 1179. *navem aſcendens apud* Witſand, *in Angliam rediit.*

[5] Eodem anno, Philippus Comes Flandrenſis ex eo portu ſolvit, ad S. Thomæ ſepulchrum peregrinatione profecturus.

[6] Ludovicus Junior, Galliarum Rex,

1 Pag. 3. 2 Gerv. Dorob. p. 1413. Hovd. p. 520. Vita S. Th. quadrip. l. 3. c. 3. 3 Radulph. de Diceto. 4 Hovd. Rad. de Dicet. 5 Brompton, p. 1126. 6 Hovd. p. 592. Brompt. p. 622. Matth. Weſtm. An. 1179.

Rex, in Angliam eodem consilio trajecturus, in isto portu navem conscendit. Sub idem tempus, refert scriptor Anglicanus, eum jam rediturum, quòd mare horreret, Sanctum illum suppliciter rogasse, *ut in illo transitu nullus pateretur ex illo tempore naufragium.* Quæ falso Camdenus S. Ludovico adscripsit.

[1] Henricus Angliæ Rex, An. 1180. ibi conscendit, ex Gallia in Angliam transiturus.

Idem Rex, pace inter Regem Galliæ, & Flandriæ Comitem stabilita, in Angliam rediens, Anno 1184. *Transfretavit in Angliam inter* Withsand *& Doveram.*

[2] Anno sequenti, Episcopus Dunelmensis, & aliqui ex Proceribus Angliæ, *transfretarunt inter Doure &* Witsand.

[3] An. 1187. idem Rex Henricus II. *applicuit apud* Witsand *in Flandria.*

[4] Sub eodem anno alius auctor:

1 Brompt. p. 1146. Hovd. p. 622. 2. Hovd. p. 630. Brompt. p. 1240. 3 Hovd. p. 634. 4 Gervas. Dorob. p. 1487.

1 Gervas.

Placuit ei S. Thomam visitare, sicque per Dovoriam, quo brevis est transitus, Witsandum *adire.*

[1] Anno 1189. Baldwinus Episcopus Cantuariensis, *Iter per* Witsandum *paravit in Angliam.* [2] Quod etiam factum est à Galfrido Archiepiscopo Eboracensi, Anno 1191.

[3] Post aliquot annos, Joannes Comes de Mortain, *Regis Angliæ frater, applicuit in Flandria apud* Wissand.

[4] Sub idem tempus, Hugo Episcopus Dunelmensis, in Galliam proficiscens, mare pertransiit inter Dubrim & *Withsan.*

[5] An. 1193. Idem Comes de Mortain, apud *Witsandum* classem armavit, qua Angliam invaderet.

Secula sequentia, alia nobis exempla suppeditant, quibus nostra Propositio confirmetur.

[6] Anno 1207. Monachi qui ex Anglia à Rege Johanne pellebantur, sese in Galliam recepturi, apud *Wissan* appulerunt.

[1] Mat-

1 Gervas. Dorob. p. 1546. 2 Hovd. p. 701. Brompt. p. 1224. 3 Hovd. p. 706. 4 Brompt. p. 1240. 5 Gervas. Dorobern. p. 1581. 6 Malbr. Lib. II. c. 9.

[1] Matth.

[1] Matthæus Pariſienſis, An. 1242, & 1243. nautarum de *Wiſsan* & *Calais* mentionem facit. Et Anno 1251. dicit Comitem Leiceſtriæ, in Angliam rediturum, *navem aſcendiſſe apud* Witſand.

[2] Anno 1299. Joannes de Baliol, Scotorum Rex, qui ab Edwardo Anglorum Rege vinculis tenebatur, tandem liberatus, ad *Wiſſan* tranſmiſſus eſt, circa tempus illud quo Concilium ibi convocatum, Statutum confecit in Annalibus Odorici Rainaudi conſpiciendum, quod hæc verba exhibet: *Actum apud* Wiſſant *de regno Franciæ ſupra mare, in hoſpitio Joannis Steuari.*

[3] Anno 1327. D. de *Beaumont*, in auxilium Regis Angliæ contra Scotos proficiſcens, cum ſuis copiis apud *Wiſſan* conſcendit; [4] quod etiam anno ſequenti factum eſt à legatis Regis Galliæ ad Angliæ Regem.

A quo autem tempore Caleti oppidum in Anglorum poteſtatem ceſſit, illud non ſolum communitum eſt,

1 Matth. Par. pagg. 399, 406, 554. 2 Raynald. hoc An. n. 21. 3 Froiſſ. Vol. 1. c. 16, 17, 19, 20. 4 Id. Cap. 25. 1 Id.

portuſque refectus & adauctus; ſed etiam iſte apud *Wiſſan* derelictus, nullo amplius uſui fuit ex Anglia in Galliam tranſeuntibus. Ex parte altera, cum inter duas nationes bellum fere continenter geſtum eſt, neque ſine magno diſcrimine ex eo portu ſolveretur, Bononiam elegerunt; ut quæ, oppidum eſſet tum inſignius tum firmius *Wiſſano*, [1] quod ab Anglis deturbatum fuerat, atque combuſtum, quo tempore Caletum obſederunt.

[2] Quod vero Portûs de *Wiſſan* eminentiam adhuc uberius explicat, hoc eſt: toto illo tempore, Comites Bononienſes ex navigiis hominibuſque ibi conſcendentibus, reditus ſatis amplos perceperunt. De hoc cenſu vectigali intelligendum eſt, quod in *Inſtrumento* Gulielmi Comitis Flandrenſis, An. 1127. de S. Audomari reditibus dicitur. *Si cum Bolonienſi Comite Stephano concordiam habuero, in illa reconciliatione eos à theloneo & Swerp apud* Witſant, *& per totam terram ejus liberos eos*

1 Id Cap. 132. 2 Hiſt. de Guine, p. 195.

1 Pag.

eos faciam. Cujus etiam in alio Inſtrumento facta eſt mentio, anno mileſimo trecenteſimo vigeſimo, in [1] hiſtoria Familiæ de *Dreux*.

[2] Retulit P. Malbrancq, quod anno 1192. *Renaut* Comes Bononienſis, Monachos S. Bertini eo liberavit: & [3] M. Juſtellus prodidit, Mariam d' *Auvergne* uxorem D. de *Malines*, ſororemque Roberti Comitis VI. de *Auvergne* & Bononia, dotis loco quingentas libras ex teloneo de *Wiſſan* percepiſſe: qui tamen poſtea, an. 1320. per Robertum VIII. ejus nominis *Auverniæ* ac Bononiæ Comitem, Vice-Comitatu de *Châteaudun* commutabantur. Poſtquam vero portus ille ea quam ſuperius poſui ratione ſuffocari cœpit, reditus iſte ex omnibus ejus oræ portubus percipiebatur. Id quod primum didici ex duobus Computis manerii Comitatus Bononienſis, qui Pariſiis in *Camera* Computorum aſſervantur. Horum primus (qui eſt anni 1402.) hæc verba exhibet: *Ex Præfectura & trajectu de* Wyſſant, *receptum apud Bononiam, in Ambletenne, aliſque*

1 Pag. 309. 2 Lib. 11. c. 37. 3 Gen. d' Auvergne. l. 2 Cap. 17.

1 Du

iſque locis circa dictum locum de Wyſſant, *ubi homines vel appulerunt vel conſcenderunt in Angliam tranſituri, aut ex ea redituri*, &c. Alter, qui eſt anni 1478. habet hæc verba: *Præfectura & trajectus de* Wiſſan, *inter aquas de Eſtaples & de Gravelinges*. Quod in primis manifeſtum facit, *Wiſſan*, ut hodie, ad Comitatum Bononiæ olim pertinuiſſe, non autem ad Comitatum Guiennenſem ([1] quanquam illud à quibuſdam Auctoribus affirmetur;) multo minus ad Flandrenſem, quod aſſerit in loco ſuperius citato Rogerus Hovedenus. Secundo, ex Computis illis aperte concluditur, quod Anno 1402. non quicquam niſi ex Portu *Wiſan* provenit; donec vectigal quod ibi ſtabiliretur, ex portubus vicinis percipi incœperat. Neque quidem à me ullibi obſervatum eſt, minimam illius mentionem poſt expugnatum Caletum comparere; aut quenquam ibi conſcendiſſe, affirmari. Imo fluctus ſabulumque ita penitus portum ſuffocarunt, ut difficulter locum ipſum inveſtigare poſſimus. *Ergo bene ſcripſit* [1] *Merula*

1 Du Cheſne, Hiſt. de Guines, p. 3.

1 Merula,

[1] *Merula Coſmographus, Itium Oceano hauſtum everſumque eſſe. Cui enim hoc quadret præterquam* Wiſanto? *Sed portus illic non tam hauſtus, quam ſabulo (uti apparet) obrutus. Hauſtum enim probant, vix ad ea loca Clitophonibor ſeu dunis coercitum mare: imo ad Oceanum uſque habitatur & aratur.* Verba hæc ſunt [2] P. Malbrancqui. Nihilominus ibi prata conſpiciuntur, ad vicum uſq; de Tardinghem (quæ eſt prope *Blakneſs*) porrecta, à [3] Portulano *Cap de Witſan* appellata, ubi locum Portus fuiſſe exiſtimare poſſumus. Prata ea ex parte Continentis, terris altis aggeſtiſque; ex parte vero maris, acervis ſabuli, terminantur. Hi pelvem aliquem grandem repræſentant, in quem mare obrepit, ex parte quidem *Wiſſani* per rivulum qui ibi præterfluit; à parte autem *Tardinghemi*, per alium rivulum qui ſe ibi ſimiliter inſinuat. Et veriſimile ſane eſt, ſublato inde commercio, portus ingreſſum fuiſſe obturationi ſabulorum relictum, quæ propter loci iſtius planiciem abundanter invecta ſunt. Huic certe opinioni de Portus

1 Merula, Part. 2. l. 3 c. ult. 2 Lib. 1. c. 10. 3 Pag. 22. 1 Ovid.

tus positione magnopere favet, quod per ea prata, ducentis circiter passibus à pago, conspicitur eminentia quædam, *Pharus* appellata, & in proximo domus, quæ nomen adhuc retinet; quasi ostium Portus de *Wissan* in eo loco fuisset.

Non mirari quisquam debet, nos hodie positionem Portus de *Witsan* exquirere, superioribus seculis ita multum frequentato: cum idem fatum isti de *Aiguemortes* in Provincia de Languedoc contigit, unde nostræ copiæ omnes in *terram Sanctam* solverunt: qui tamem hodie ita obscure apparet, ut ab eo mare dimidium leucæ removeatur. Eandem fortunam subierunt diversi portus Constantinopolitani, ibi ab Imperatoribus constructi, quorum nulla plane vestigia supersunt.

-- [1] *Sic toties versa est fortuna locorum.*
Vidi ego quod fuerat quondam solidissima tellus,
Esse fretum: vidi factas ex æquore terras.

1 Ovid. Metamorph.

INDEX.

Figuræ majores Dissertationem præmissam, minores reliquam libri partem designant.

A.

ÆMILIUS (Paulus) emendat. XIV.
Africus non fuit ventus idoneus ad Cæsarem ex Audomaropoli devehendum, 52.
Aggeres Belgici, 24, 27, 57.
Aiguemortes, portus in Languedoc obstructus, 120.
Aldenborg, oppidum vetustum, 21.
Alfredi transitus in Angliam probat Iccii situm, 79. 109.
Ambleteol non fuit proprie Portus, 68.
Amiens, quo pacto pluribus nominibus appellatur, 97.
Ampleat idem quod Ambleteol. 69.
Antiquitatum dignitas 1.
Antoninus citat. 94
Argestes, Caurus appellatus, 54.
An, terminatio communis pluribus nominibus Bononiensium, 105.
Argumentorum probabilium cumulus quam vim debet habere, 20.
Audomaropolis non est Julii Cæsaris Portus inferior, 40, 41, 88.
ejus loci natura & conditio, 42.

B.

BAtavi quot quantaque passi sunt a Cauro vento, 56.
Becanus, 4.
Belgæ Germanorum lingua & moribus usi sunt, XIII.
Bergerus, 91, 95, 96.
Bertius, 90.
Bodinus, 59.
Bononia idem quod Gessoriacum, 11.
violentiâ Cauri obstructa, 57.

est

est Portus Iccius, 76. xxxv.
Bouchier citat. 91.
Breton (Philippus de) 107.
Britanniæ varia nomina, xxxvi.
Britannicus quare dictus est Iccius, 2.
Brompton, 109, 111, 112, 113, 114.
Brugis portus Iccius esse non potuit, 87.
Burborck, oppidum vetustum, 21.
Burgadi Gallorum, 73.
Busæus, 103.

C.

CAc t literarum in Vett. Codd. similitudo, facile potuit esse causa erroris, x.
Cæsar in dunis Cantianis ad terram appulit, 50.
ejus locus de comparandis hnmilioribus navibus explicatur, 47, 48.
ejus Comment. MSS. Bodleianus & Mertonensis, x.
citatur passim.
Caletum in Casletum apud Gramayum mutandum, 18.
Caletum violentia Cauri obstructum, 58.
non est portus Iccius, 71, 90. xxvi.
a Paulo Æmilio male scribitur & derivatur, xiv.
quando refici portus incœpit, 115.
Camdenus citat. 3, 56, 72, 85, 90.
emendat. xii, 113.
Camdenus primus Iccium Witsandi collocavit, 85, 98.
Cantianum Promontorium, 95.
est intra Iccii conspectum, 32.
Cantuariensium observatio de aquarum inundationibus, 59.
istius Ecclesiæ immunitas in Portubus quibusdam littoris Gallici, 72.
Casaubonus (Isaacus) citat. 5.
Cauri venti natura, 53, &c.
Chelidonii venti, 53.
Du Chesne, Hist. de Guines, 118.
Chiffletii Portus Iccius demonstratus, & illius in scribendo consilium, 7. 111.
duplex istius libri editio, 8.
ejus infidelitas in narranda prima Cæsaris expeditione, 14, 37.

ejus

ejus pertinacia in asseverando, 86.
Ciceronis Tusc. Quæst. viii.
Ciaconii Annot. ad Cæsarem, x.
Cluverii laudes, 5.
citat. 5, 11, 13, 34, 36, 67, 68, 72, 73, 75, 77, 90, 91.
Corus. V. Caurus.
Cumulus Argumentorum probabilium quam vim habere debeat, 20.

D.

Diceto. (Rad. de) 111, 112.
Dobuni Romanorum, xiii.
Dobunorum derivatio a Britannis petenda, xvii.
Ad Dubrim primo pervenit Cæsar, xviii.
Ad Dunas Cantianas appulit Cæsar, 52, xxiii.
Simeon Dunelmensis, 111.
Dunkirkæ portus ortum suum habuit ex obstructione Mardici, 18.
Cauri violentiâ multum obstructus, 58.
non est portus Iccius, 70.
Diickæ sive aggeres Belgici, 24, 27, 57.
Diick-graven, in Belgio qui sunt, 27.

E.

Edmerus citat. 74, 110.
Eau lingua Gallica habet inter Francicæ reliquias, 44.
Edmondsius citat. 3.
Emmæ Reginæ Vita citat. 79. xxxviii.
Etesiarum natura, 53.
Ex Etymologiis non multum concludi potest, 105.
in iis quænam cavenda, xiv.
etymologiis nominum barbarorum parcius indulgendum, 77.

F.

Fabius aliorum opiniones in unum corpus colligendo pulchre de re Rhetorica meruit, vii.
Fliett terminatio quid significat, 26.
Florus citat. 91. xxxiv. xxxv.
Flumina frequenter regionibus nomen tribuunt, xi.
Flodoardus citat. 108.

Caro-

Caroli du Freſne Diſſertatio de Portu Iccio, v.
Friſia quænam detrimenta paſſa eſt a Cauro vento, 56.
Froiſſardus citat. 115, 116.

G.

GAmelius primus omnium prodidit Mardiccium eſſe portum Iccium, 7.
Gervaſius Dorobernenſis, 112, 113.
Guil. Gemeticenſis citat. 109, xxxviii.
Geſſoriacum (al. Bononia) eſt intra fines Morinorum, 11.
male a Chiffletio negatur eſſe Portum Iccium, 63.
portus eſt vetuſtus, xxiii. xxxiv.
Goropius citat. 63.
Gravelingæ portus ortum ſuum habuit ex obſtructione Mardici, 18.
non eſt portus Iccius, 70.
Griffiander citat. 28, 59.
Gu, Gallorum eſt Alemannorum W. 109.
Guicciardinus citat. 28, 42.

H.

HAriulfus citat. 110.
Henricus Huntingdonienſis citat. 111.
Pontus Heuterus, 77, 99, 104, 105.
Heymraeden in Belgio quinam ſunt, 27.
Heyrſtreeta, via ducens ad Mardicum, 26.
Hludowic quid ſignificat, 103.
Hoſpitalius Galliæ Cancellarius, 72.
Hovdenus citat. 72, 112, 113, 114.

I.

IApan, aliter Ziprangi dictum, 54.
Iccius ulterior & citerior, vanum Chiffletii commentum, 16, 31, 34.
Icciana vada, ſtationes, aut ſinus non a Cæſare memorantur, 39.
Iccii indicia, 69, 99.
Iccius Bononiæ ſtatuendus, 76.
Iccium Promontorium Chiffletii ridiculum, 61.
male collocatur a Ptolemæo ante Geſſoriacum Navale, 65.
ab eo debile admodum argumentum de ſitu Iccii portus dedu-

deducitur, 101.
Iccii portus varia nomina, 102.
Iccius unde ſuam dignitatem traxit, ii. viii.
Iccius à Wic derivatur, xvii.
Iccii vera ſcriptio, viii.
Iccius Rhemorum Præfectus, 102.
Icenorum derivatio à Britannis petenda, xvii.
Jucundus Veronenſis citat. 4.
Jungermanni editio Græcæ Verſionis Cæſaris Comment. de Bello Gallico, ix.

K.

Kiliani Lexicon Teutonicum, 104.

L.

Lambertus d' Ardres citat. 107.
Lhydius citat. 3.
Litavicus apud Cæſarem, quid ſignificat, 103.
Locorum ſubjugatorum nomina à Romanis impoſita, xvi.
Loci antiqui quibus regulis inveſtigandi, 98.
Ludovicus Junior Thomam Cantuarienſem religioſa peregrinatione inviſit, 74.
Luitwic, quid ſignificat, 103.

M.

Malbrancq citat. 88, 90, 96, 106, 108, 114, 117, 119.
Malmesburienſis citat. 110.
Mangi ſoli ad Japoniam mercaturæ cauſa proficiſcuntur, 54.
Marcellinus citat. xxxvi.
Marcis in Notitia utriuſque Imperii non eſt legendum Mardicis, 22.
Mardici ſuffocatio, 20.
ejus initia, 21.
violentia Cauri obſtructum, 58.
Marlianus citat. 3. 90.
emend. xv.
Marquiſe, eſt Notitiæ Marcis, 23.
Matthæus Pariſienſis citat. 3, 21, 90.
Matthæus Weſtmonaſt. citat. 112.

Mela citat. 91, xxxiv.
Merula citat. 3, 5, 64, 108.
Monasticon Anglicanum, 108.
Morinorum limites, 11.
eos dividit Chiffletius in proprie & improprie dictos, 13.

N.

NOtitia utriusque Imperii, 21.
Novæ res antiquioribus postponendæ, 1.
Novo-portus non est Portus Iccius, 70.

O.

OLympiodorus citat. 91.
Op den diick, 26.
Oppidis quo pacto plura simul nomina obtigerunt, 97.
Ordericus Vitalis citat. 110.
Oromansacorum sedes propria, 12.
eorum nomen videtur deduci ab ora, h. e. littus, 14.
Ortelius suam de Audomaropoli opinionem retraxit, 41.
Ortelius citat. 3, 13, 41, 42, 88.
Ostenda non est portus Iccius, 70.

P.

PAris cur pluribus nominibus appellatur, 97.
Petrus, Ecclesiæ S. Augustini Abbas demersus apud Ampleat, 69.
Pictavienſis, 78, 109, xxxviii.
Plinii Historia Naturalis, 54, 91, xxxv.
Porteti non fuit Portus Iccius, 87.
Portulanus citat. 119.
Ptolemæus quam longitudinem & latitudinem assignat Bononiæ & Iccio Promontorio, 63.
Apud Ptolemæum figuræ numerales falso sæpissime statuntur, 65.
Ptolemæus citat. 13, 64, 101. viii.
Puteanus Chiffletii Librum orbi commendavit, iv.

Q.

QUntilianus citat. 1.

Ray-

INDEX.

R.

Raynaldus citat. 115.
Rheni ostium non est intra conspectum Portus Iccii, 34.
Ex Rheni ostiis unum violentia Cauri obstructum, 58.
Rhutupina littora, 95.
Rodenborg, oppidum vetustum, 21.
Rostrata columna, 11.

S.

Saliorum carmina, 11.
Saxonici littoris fines, 22.
Sanson citat. 91 92.
Scaligeri (Julii) Poetica citat. 55.
Scaliger (Josepus) citat. 91.
Scoendiick, 26.
Seath, quid olim significavit, 43.
Sewerarum Præfecti in Anglia, 27.
Sit, aut Set, quid olim significavit, 44.
Sithieu male exponitur Sinus Iccii, 42.
Sluysæ portus Iccius esse non potuit, 87.
Somneri moderatio in controversiis tractandis, 10.
Soriete, ubi situm est, 99.
Speedus citat. 3.
Spelmanni (D. Henrici) Tractatus de Icenis, xi.
Stapulæ non est proprie portus, 68.
Steenstreeta, via ducens ad Mardicum, 26.
Stour fluvius versus Septentriones in mare effunditur, 59.
Strabo in partibus maritimis Morinorum sæpe lapsus est, 31.
Strabo citat. 12, 87, viii.
Strata de Brunehaut, 95, 96.
Strickius citat. 4.
Suetonius citat. 91, 95. xxxiv.

T.

Tac c literarum similitudo in Vett. Codd. potest esse causa erroris, x.
Tabulæ Peutingerianæ, 91, 94.
Taciti Annales emendat. 56.
Turnebus citat. 88.
Turholt, oppidum vetustum, 21.

Vel-

V.

VElſerus, citat. 98. xxxvi.
Venti Anniverſarii & Provinciales, 53.
Veterum dignitas, 1.
Viæ militares in Morinis, 17.
via vicinalis quæ ſit, 18.
viæ militares nullæ ante Cæſaiem in partibus Occidentalibus, 29.
viæ militares quo conſilio exſtructæ, 95.
Viginerius citat. 3, 90.
Virgilius, 60,
Vliett, quid ſignificat, 26.
Uremdiick, 26.
Fulvii Urſini Annott. ad Cæſaris Comment. ix.

W.

WAlemannorum Galli efferunt per gu. 109.
Waterdick, 26.
Wic ſæpe occurrit in locorum nominibus, xii.
Wic facile tranſire potuit in Iccius, xvii.
ejus variæ ſignificationes, xviii.
Wicciorum qui ſunt in Anglia limites, xi.
Wigorniæ nomen Saxonicum unde deducitur, xii.
Wits cur non originem Iccio dare potuit, xviii.
Witſand quare dictus portus Britannicus, 2.
eſt portus antiquus, 23.
violentia Cauri obſtructus, 58.
non poteſt eſſe portus Iccius, 73. xxix.
à ſabuli albedine nomen deducitur, xix.
ejus deſcriptio, 83.
quibus argumentis eſſe Iccium, probat du Cange, 95, &c.
ejus antiquitas, 106, &c.
quando derelictus eſt portus, 115,
ab Anglis oppidum combuſtum, 116.
ſemper ad Comitatum Bononiæ pertinuit, 118.
S. Wulgani vita citat. 106.

FINIS.